

Franckesche Stiftungen zu Halle

Historia Reformationis Ex B. D. Martini Lutheri Aliorumque fide dignorum scriptorum monumentis eruta ac digesta

Majus, Johann Heinrich

Francofvrti ad Moenvm, MDCCX.

VD18 11197102

Locus IV. De Magistratu Politico.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-211445](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-211445)

docere velit. Impositio manuum benedicit confirmat & testatur illud, quemadmodum Notarius & testes rem civilem testantur: & simul pastor sponso & sponsæ benedicens, illorum matrimonium ex officio confirmat, licet pastor vel angelus vel diabolus sit. Quicquid vero Papistæ dicant, conscientia nostra secunda & libera coram Deo est, quod rite & bene fecerimus. Interfuerunt enim inaugurationi isti & manus imposuerunt sequentes Episcopi vel Superintendentes & Pastores, *D. Nicolaus Medler*, Numburgensis, *M. Georgius Spalatinus*, Altenburgensis, *M. Wolfgangus Stein*, Weisselfelsensis, quemadmodum receptum erat in veteri Ecclesia, & antiqui canones docent, ut Episcopus consecratur a sanctis Episcopis vicinarum urbium. Adhæc Ecclesia, populus & Principes Dominiq[ue] provinciarum præfentes erant.

Tom. VIII. Altenb. pag. 10. b. 11. a.

LOCUS IV.

De

MAGISTRATU POLITICO.

§. I.



Uid debeatur Luthero, quod statum officiumque *Doctrina de Magistratus egregie vindicaverit, ipsemet in præfata Magistratu* tione ad explicationem Psalmi LXXXII. *Dens stat per Lutherum restituta.* in Synogoga Deorum, indicavit. Olim, inquit, cum *pa, Episcopi & Monachi tale dominium obtinerent, ut etiam literis excommunicatoriis Reges Principesque, non repugnare auctos vel abjectissimo ventri, pro arbitrio suo cogere & flectere potuerint, quo volebant, Magistratus Politicus totus oppres-*

Rrr rr 3

sus

sus jacebat sub Ecclesiasticis gigantibus & tyrannis, ut leves & rudes isti homines pedibus eum calcarent; tam potenter dominabatur unicus ille Canon, *si quis suadente*. Adhuc nulla aderat instructio, quid sit Magistratus Politicus & in quantum ab Ecclesiastico differret. Unde nulla ratione Politici ulcisci poterant Ecclesiasticos, quam ut eos summo odio prosequerentur, & clam iis damnum inferrent, aut conniverent ad illatum ab aliis. Nunc vero, posteaquam Evangelium in lucem prodiit, & clarum discrimen ostendit inter statum Politicum & Ecclesiasticum, adhuc docet, quod *Magistratus* politicus sit *divina ordinatio*, cui quisque obsequium & honorem deferre debeat, latantur, quod liberati sint à tyrannide Pontificia, & talis jam rerum conversio facta est, ut Papæ, Episcopi & Monachi iterum Principes & Reges metuere, honorare, & fere pro Diis colere debeant. Conqueritur tamen mox, quod Magistratus fere insolescat, gratia Dei & libertate abutatur, & Evangelium persequatur, per quod Dii & Domini facti sint, idque sub specie defensionis, ac reprehendi nolint; prout superiore Loco §. 26. querelas beati viri retulimus. Conf. supra p. 798. seq.

Tom. V. Alt. pag. 278. a.

§. II.

Deus in V.
T. ordinavit
Magistra-
tum, Gen.
9, 6.

Magistratum à Deo constitutum esse, multis è Veteri & Novo Test. locis probari potest. Genes. IX. 6. *quicumque effuderit sanguinem humanum, illius sanguis effundetur per hominem.* (a) Hic est fons, ex quo manat totum jus civile & jus gentium. Nam si Deus concedit homini potestatem super vitam & mortem, profecto etiam concedit potestatem super id quod minus est, ut sunt fortunæ, familia, uxor, liberi, servi, agri. Hæc omnia vult certorum hominum potestati esse obnoxia Deus, ut reos puniant. Ergo locus hic diligenter notandus est, quo Deus Magistratum constituit, non tantum ut de vita judicet, sed etiam de inferioribus, seu infra vitam positis, ut Magistratus puniat

puniat inobedientiam liberorum, furta, adulteria, perjuria. In summa, ut puniat omnia peccata, quæ in secunda tabula prohibentur. Qui enim vitæ iudicium concedit, etiam inferiorum rerum iudicium permittit. Insignis igitur hic textus est, & dignus observatione, quod Deus Magistratum instituit, & ei gladium dat in manus, ut restringat licentiam, ne tum sævitia, tum alia peccata progrediantur in infinitum. Hanc divinam potestatem nisi Deus contulisset hominibus, qualem quæso viveremus vitam? Quia igitur prævidet semper maximam malorum copiam futuram, hoc externum remedium instituit, quod mundus hætenus non habuerat, ne licentia immodice cresceret. Atque hoc tanquam septo, his tanquam parietibus munit vitam & res nostras Deus. In Novo Testam. (b) Matth. XVII. *in Novo Christus Matth. 17, 27.* Dominus rationem reddidit, cur sit obediendum magistratui profano. Ideo est ponderanda & observanda, tanquam sententia prolata à summa maiestate, scilicet, quod Magistratus sit honorandus, ne scandaliscentur, id est, ne possint Christianos accusare seditionis, ut qui nollent obedire potestati, sed novum regnum civile moliantur. Quo simul significat, regnum suum non fore civile seu mundanum. - Confirmat igitur hoc loco Magistratum quidem, sed tamen non eum iustificat, nec beatificat coram Deo, imo separat eum à regno suo. Ideo quantum *Reverenter hanc ordinationem agnoscere debebat Magistratus,* habent Reges ex hoc loco autoritatis & gloriæ in mundo, tantum habent timoris & desperationis, quod non pertineant ad regnum Dei, ne insulentur, quod eorum status à Deo probetur. Sicut status conjugii probatur, sed non per hoc iustificatur, nec salvatur. Hoc dicendum est, quia mire insulantur nunc etiam impij Principes, imo & nostri Proceres quoque, postquam audiunt statum suum probari, quasi ideo sint futuri salvi, non cogitantes, quod in isto statu nihil meliores sint Turcis & omnibus gentibus, quia & sub Turca coguntur Christiani obedire magistratui, sicut hic Christus *Romanum Magistratum aptum approbat,*

bat, & tamen damnatus erat apud Deum idem Magistratus. Sic & nostri sunt, si sine fide sunt. Sed hoc esset tolerabile & bonum, si Magistratus acciperet drachmam etiam à piis, nunc vero fiducia approbationis à Deo, persequuntur etiam Deum, à quo approbantur, sicut Christus à Romano Magistratu occisus est. Deus enim benediceret regnis, ut census haberent in æternum, sed quia contenti non sunt hac benedictione, persequuntur benedicientem, & ita cogunt eum, ut eis maledicat & deponat potentes de sede.

(a) Enarrat. in Genes. IX. Tom. I. pag. 419. seq. (b) Tom. IV. Gen. Lat. fol. 372. b.

§. III.

alia argu-
menta ex
libello de po-
testate se-
culari.

Plura alia huiusmodi argumenta collecta reperies in libello Nostri de *seculari potestate*, quomodo ei debeat obsequium? quem Johanni Saxonie Electori inscripsit, in cujus principio fundamenta solida, quibus jus civile & gladii stabilitur, & probatur esse à Dei voluntate & ordinatione in mundo, è Scriptura S. adduxit, ut Rom. XIII. 1. seqq. 1. Pet. II. 13. 14. & hoc jus gladii ab initio mundi extitisse dicit, quemadmodum ex metu Caini fratricidæ colligit; frustra enim ipsum formidasse ultionem, nisi ex patre Adamo audivisset homicidas capitali supplicio afficiendos. Repetitur porro idem jus post diluvium disertis verbis Gen. IX. 6. & postea Exod. XXI. 14. 23. & à Christo confirmatum Matth. XXVI. 52. nec non à Johanne, Luc. III. 14. Ibidem vero etiam profert dicta, quæ istam potestatem infringere valde videntur, ut Matth. V. 38. 39. 40. 41. 44. Rom. XII. 19. 1. Pet. III. 9. Unde Sophistæ inferunt, Christum abrogasse legem Moysi, & ex præceptis ejusmodi fingunt consilia pro perfectis, ac doctrinam Christianam in duas partes dividunt, quarum unam vocant perfectorum, cui consilia ista assignant, alteram vero imperfectorum, cui præcepta tribuunt, mera temeritate, nullo Scripturæ S. fundamento nixi, nec vident Christum ibi tam

tam severe doctrinam suam imperare, ut ne apicem quidem solvi velit, & in orbem condemnet illos, qui inimicos suos non diligunt. Aliter ergo de his judicandum monet, ut verba Christi omnibus communia maneant, sive perfecti sive imperfecti sint, cum perfectio vel imperfectio non consistat in operibus, nec singularem statum externum inter Christianos efficiat, sed in corde consistat, in fide & charitate. Hinc homines omnes ex Adamo progeneratos in duo genera dividit, fidelium & infidelium: illos affirmat pertinere ad regnum Dei & Christi, & non indigere gladio vel jure civili. *Si enim, inquit, omnes & singuli toto orbe veri essent Christiani, sive vere fideles, neque Regibus & Principibus, nec gladio aut legibus opus esset.* Ad quidem ista? haberent nimirum in corde doctorem Spiritum S. à quo instruuntur, ne cuiquam malefaciant, omnes ament, injurias & mortem ipsam patienter ferant; ubi autem iniqua patienter feruntur, aut non nisi æqua fiunt, ibi nulla est lis aut rixa, nullus judex, nulla poena, judicium, aut gladius. Itaque inter vere Christianos locus judicio & gladio temporali esse non potest; plus enim præstant, quam omnes leges aut doctrinæ ab iis exigunt. Hinc Paulus docet 1. Tim. I. 9. *lex justo non est posita, sed injustis;* ideo scilicet, quia justis sponte sua omnia & plus faciunt, quam omnia jura postulant: injusti autem nil boni patrant, ideoque jure opus habent, quod ipsos instruat, cogat atque impellat benefacere. Bona arbor nulla indiget doctrina, vel lege, ut bonos fructus ferat, id enim ejus natura & indoles secum fert: ita quoque omnes Christiani per Spiritum & fidem animati sunt, ut magis ultro & sponte agant recta & justa, quam ullæ leges præcipiunt. - Cum vero pauci sint credentes, & qui non resistant malo, nec mala faciat, Deus illis extra statum Christianismi & regni Dei, aliud regimen constituit, eosque gladio subjecit, ut, licet cuperent, non tamen exequi possint male destinata, & si perpetrent, non sine formidine id faciant. Sed quia

fideles non indigent Regibus aut legibus.

Sss ss

ingens

*duplex regi-
mon probe
distinguen-
dum.*

ingens malorum est numerus, & inter mille vix unus Christianus verus, ac alter alterum facile devotaret, ut nemo uxorem & liberos nutrire & educare posset, sicque mundus interiret, Deus ordinavit *duplex regimen*, Ecclesiasticum, quod Christianos & pios homines facit per Spiritum S. sub Christo, & politicum, quod non Christianis & impiis resistit, ut vel inviti pacem externam colere teneantur. Ita Paulus interpretatur gladium mundanum Rom. XIII. 3. 4. quod *non bonis sed malis operibus metuendus sit*, & Petrus I. Epist. II. 14. *in ultionem impiorum, & laudem bonorum*. Si quis igitur mundum secundum Evangelium regere, omnem potestatem secularem & gladium tollere vellet, prætendens, omnes esse baptizatos & Christianos, inter quos Evangelium nolit esse jus aut gladium, quid, quæso, faceret? nihil sane aliud, quam ut immanibus bestiis vincula solveret, ut obvios quosque morderent ac dilaniarent. Ita mali sub Christiano nomine abuterentur libertate Christiana, facinora quævis patrarent, ac dicerent, se Christianos esse, nulli gladio aut juri subjectos, ut jam nonnulli insaniunt. His dicendum, verum omnino esse, quod Christiani opus non habeant lege forensi & gladio; sed ante dare eos debere mundum Christianis veris refertum, quam Christiane & Evangelice regi queat; id vero nunquam fieri posse, cum mundus & multitudo in malo jaceat, pluresque impii quam pii reperiantur, licet baptizati sint & Christiani nominentur. Nequaquam igitur in mundo unum commune regimen Christianum vigere posse; adeoque duplex regimen probe distingui & utrumque retineri debere, unum, quod pios, alterum, quod pacem externam facit, & mala coercet: neutrum sine altero sufficere in mundo; nam sine spiritali Christi regimine neminem coram Deo justum piumque fieri posse per regimen seculare: nec ad omnes id se extendere, cum semper Christianorum sint pauciores inter nos Christianos. Si vero seculare solum regimen imperaret, nil nisi hypocri-

fin

sin fore, etiam si ipsa Dei præcepta essent, quia sine Spiritu S. in corde nemo vere pius fiat, qualiacunque etiam bona opera faciat. Similiter si spirituale tantum regimen obtineret in provinciis & inter homines, ibi frena malitiæ laxarentur, & sceleribus cunctis locus relinqueretur; quia universus mundus (*die gemeine Welt*) id nec accipere nec intelligere valet. *Hinc, inquit, vides, quo respiciant verba Christi, supra Matth. V. 39. adducta, Matth. V. quod Christiani non debeant iudicio contendere, nec gladium seculare inter se habere.* Proprie Christus ad solos Christianos *ca. 39. explicatur.* edicit, qui soli quoque recipiunt & sic faciunt, non in consilia mutant, pro Sophistarum more, sed in corde per Spiritum S. ita affecti sunt, ut nemini malum inferant & illatum à quovis patienter ferant. Quod si totus mundus esset Christianus, ad eum totum verba pertinerent; at quia non Christianus est, ad eum non spectant verba, nec sic facit, verum alteri regimini subijcitur, ubi non Christiani externa vi coguntur & ad pacem bonaque adiguntur. Propterea etiam Christus gladio non est usus, nec eum in suo regno instituit; est enim Rex Christianorum regitque sine lege, tantum per Spiritum S. Et quanquam *confirmavit jus gladii*, eo tamen non utitur in regno suo, nec eo opus est, cum non nisi pii in hoc regno sint. Unde *David*, quod multum sanguinem fudisset, non poterat templum ædificare, sed *Salomoni* Regi pacifico relinquendum erat, qui *Christum* ejusque regnum adumbrare poterat. Quod vates innuunt passim, *David Ps. CX. 3. Jcl. XI. 6. 9.*

Quando vero obijcitur, cur Christiani, qui potestate civili & gladio opus non habeant, nihilominus subijciantur potestati seculari à Paulo Rom. XIII. 1. seq. & Petro 1. Epist. II. 13. respondet, Christianos, cum in terra non sibi ipsis sed proximo vivant ac serviant, ea quoque facere ex natura Spiritus sui, quibus ipsi opus non habent, eoque sponte se subicere Magistratui, ut ordinationi divinæ etiam hac in parte satisfaciant, nemini

S s s s s 2

offen-

offendiculum præbeant, & omnibus prosint: exemplo Christi, solventis drachmam Matth. XVII. 27.

Tom. II. Alt. pag. 259--262.

§. IV.

Ex Epistola
ad Melanchthonem
de eodem argu-
mento.

Placet quoque, quæ jam ante, anno XXI. die Margarethæ, ex eremo (Coburgi) de hoc argumento ad Phil. Melancthonem scripsit, huc transferbere. De gladii jure sic sentio, ut prius: nam tu mihi videris petere aut mandatum, aut consilium ex Evangelio super hac re: in quo tecum plane sentio, neque præceptum neque consilium esse ejusmodi jus in Evangelio; neque conveniebat ullo modo: cum Evangelium sit lex voluntariorum & liberorum, quibus nihil cum gladio aut gladii jure. Sed nec prohibitum est ejus jus, imo confirmatum & commendatum; quod prorsus de nulla permissarum rerum legimus. Nam & injuria & externæ ceremoniæ neque præceptæ neque consultæ sunt in Evangelio, sed neque ulla temporalium rerum cura: atque non conveniebat de iis disponere Evangelio, quod solum spiritum in sua libertate disponit; sed nunquid ideo jus non est utendi illis: imo nonne necessitas hujus vitæ requirit ejusmodi jus & usum? Tua ratio pulchre faceret aliquid, si omnes obedirent Evangelio. Ablato enim gladio (cum necesse sit malos plures esse) quamdiu stabit Ecclesia Dei in hoc seculo, cum nullus neque vitæ, neque rerum usu, præ malorum licentia, potiri queat: sed tu rationibus & inconvenientiis non vis urgeri, sed Scripturis. Dixi antea, neque præceptum neque consultum esse gladium, sicut neque multa alia: esse tamen commendatum & confirmatum: sicut jus matrimonii, quod itidem nihil ad Evangelium pertinet. Habes enim Johannem Baptistam Luc. III. 14. qui milites instituit dicens: *neminem concutias, neque calumniam facias, sed esto contenti stipendiis vestris.* Certe nisi jus gladii haberent, prohibere debuit: cum illi quaestionem tuam proprie moverent, dicentes, quid facere & nos debe-

debe-

debemus? Hic institutam non habes, confirmatam tamen habes militiam. Nonne cogitas, multo difficilius esse tibi, quid respondeas satis, hunc locum contra te adducentibus, quam quid tibi respondeatur. Paulus 1. Tim. II. 1. jubet *orare pro his, qui in sublimitate constituti sunt*, exemplo Jeremiæ, pro rege Babyloniorum orare jubentis: & non jubet orare contra sublimitates, tanquam rem vel prohibitam, vel nullius juris existentem. At illi ethnici erant, inquis: sed non orabat ut fideles fierent, sed ut essent & subsisterent in pace. Non mihi persuadebis, posse orationem juberi ab Apostolis & Prophetis, pro iis rebus, quæ tantum permixtæ & ferendæ sunt, ut subsistant & quæta sint: alioqui pro raptoribus, & ut tu interpretaris, tyrannis iniquis, ut iniqui sint, orabimus. Jam Apostolum ad Rom. XIII. 3. & 1. Pet. III. non sic à te rejici patior, quasi huc non valeant, aut tantum subditos erudiant. Non hoc efficies Philippe. Verba Dei sunt & magnum sonantia, ubi dicit: *potestas est à Deo, & ordinationi Dei resistit, potestati resistens: & minister Dei est*. Non invenies hoc dici de rebus permixtis tantum. Non est minister Dei, sed hostis, qui injuriam facit, aut quæcunque ferenda infert: nec est permissio vel res permixta, minister Dei. Aliud longe est, quod aliquoties scribitur, gentem super gentem excitasse bellum, ut regem Babyloniam contra Tyrum in Ezechiele servum vocans, & spiritum regum Medorum in Jeremia suscitans: & aliud, quod potestas pro pace ordinari dicitur, ad Rom. XIII. & 1. Tim. II. Nam hic timori mali operis, honori boni operis institutam dicit, illic vindicta, & jam facti mali operis ratio habetur. Jam quid facias, cum *Abraham, David, & sanctos*, antiquis legibus & gladio usos optime vides: quos viros Evangelicos fuisse certum est: licet pro tempore tantum uterentur. Certe *usum rei*, qua illi usi sunt laudabiliter, non est pium ab Evangelicis viris negari, ut est *jus gladii*: præsertim cum in Evangelio neque sit revocatum neque prohibi-

Sss ss 3

tuta,

tum, sed, ut dixi, confirmatum utique in his, qui fideles erant, militibus Johannem interrogantibus. Cum ergo Christus in Evangelio res divinas & cœlestes instituere debuerit, quid mirum, si gladium non instituerit, qui ab humanis creaturis facile ordinari potest: & interim sic eum tractet, ut, nisi Evangelio repugnaret eum à se institui, vellet instituere, dum commendat & confirmat institutum. *Petrus & Judas* etiam potestates & dominationes sperni & maledici ab *Antichristo* quoque indignantur. At nunquid permissa licentiosa aut iniqua non licet spernere? Honorem & reverentiam eis vult fieri; sed nunquid idem vult permissis & iniquis? His locis Scripturæ captus, non habeo, quod mihi respondeam *Philippe*: & multo minus mihi satisfacies in hanc partem, quam ego in tuam. Tu nullum locum habes, qui vel damnet vel prohibeat, vel ullo modo fugere doceat potestatem: ego tot modis confirmatam, commendatam, honorandam, oratione Deo commendandam habeo: nisi quod ab Evangelio neque imperata, neque consulta sit: quod nec matrimonium, nec domus, nec disciplina domus aut civitatis, aut ulla rerum corporalium administratio & cura. Tu, si quid aliter revelatum habes, ostende: sed sic ostende, ut prohibitam, fugiendam, aut solum permissam asseras. Christus enim *Pilato* datam de super potestatem dixit: Deum autem dare non in malum hoc loco sonare puto.

Tom. I. Epistol. pag. 335. b. -- 337.

§. V.

*Politia post
lapsam re-
medium
corrupta na-
tura neces-
sarium.*

Politia ante(c) peccatum nulla fuit; neque enim ea opus fuit. Est quippe *politia remedium natura corrupta* necessarium. Oportet enim cupiditatem constringi vinculis legum & pœnis, ne libere vagetur. Ideo *Politiam* recte dixeris *regnum peccati*, sicut *Paulus* *Mosen* quoque vocat ministrum mortis & peccati. Hoc enim unum & præcipuum agit *Politia*, ut peccatum arceat. Sicut *Paulus* dicit: *potestas gerit gladium in vindictam maiorum.*

lorum. Si igitur homines non essent per peccatum mali facti, Politia nihil fuisset opus, sed Adam vixisset cum posteris suis in summa tranquillitate, ac plus effecisset moto uno digito, quam nunc omnes gladii, cruces, secures possunt efficere. Nullus fuisset tum raptor, homicida, fur, obrectator, mendax. Quid igitur legibus, quid Politia fuisset opus? quæ est ceu cauterium & horribilis medicina, per quam noxia membra præscinduntur, ut reliqua salventur.

Gen. IX. 6. Deus (d) constituit Politiam in mundo, quæ *Philosophi* ante diluvium non fuit, sicut Cain & Lamech exemplum ostendunt, qui non occisi sunt, cum tamen arbitri seu iudices essent *judicabant* publicarum actionum sancti Patres. Hic autem jubentur, qui *imperia in-* habent gladium, ut gladio utantur contra eos, qui fuderunt *justa esse.* sanguinem. Solvitur itaque hic argumentum, quod *Platonem* & omnes sapientes exercuit: hi enim concludunt, *imperia sine* iniustitia administrari non posse. Ratio est, quia homines inter se æquali dignitate & conditione sint. Cur enim Cæsar imperat orbi? Cur alii ei parent, cum æque, ut alii, sit homo, nihilo melior, nihilo fortior, nihilo durabilior? Omnibus enim humanis conditionibus subiectus est, sicut alii homines. Viderur igitur tyrannis esse, cum aliis hominibus sit similis, quod usurpat Imperium in homines. Si enim similis est aliorum hominum, summa injuria & iniustitia est, quod non vult similis aliorum esse, sed per tyrannidem aliis se anteponit. Ad hunc modum ratio colligit, nec potest habere, quod opponat. Sed nos, qui habemus verbum, videmus opponi debere mandatum Dei, qui sic ordinat & instituit. Igitur nostrum est divinæ ordinationi parere, & eam ferre, ne ad reliqua peccata etiam hoc accedat, ut in hac parte simus inobedientes voluntati Dei, quam tamen tot modis videmus huic nostræ vitæ esse utilem. Concedit igitur hic locus religiosam & civilem mactationem animalium, eadem autem hominum in totum prohibet: quia homo est conditus ad

ad

ad imaginem Dei. Huic voluntati qui non parent, hos tradit Magistratui occidendos. Verum de *causa efficiente* Politicæ Loc. II. §. III. & IV. plura vide.

(c) *Enarrat. in Genes. II. Tom. I. p. 88.* (d) *ad Genes. IX. p. 417. seq.*

§. VI.

Etiam regna mundi non damnantur, licet contra Christum pugnent.

Cum igitur Magistratus sit ordinatio divina, quæ etiam in Novo Testam. non sublata sed approbata & confirmata sit auctoritate Christi & Apostolorum, facile inde colligi potest regna mundi non daminari, etiamsi contra Christum pugnent. Non enim sequitur, regna mundi pugnant contra Christi regnum, ergo sunt mala per se. Sicut non sequitur, ferrum, quo latus Domini in cruce apertum est, non fuisse bonam creaturam; sed est constituenda differentia inter creaturam seu rem & abusum. Creatura bona est, etsi in abusu sit; oritur enim abusus non ex re, sed ex pravo animo. Sic iustitia civilis, jura ipsa, artes, studia, sunt res sua natura bonæ, sed abusus est malus, quod mundus his donis abutitur contra Deum.

Tom. IV. Jen. Lat. fol. 755. in Psal. II.

§. VII.

An Christianus magistratum gerere possit?

Facile quoque hinc effici potest, Christianum posse Magistratum gerere in Novo Test. Clarus est textus Rom. XIII. i. *potestas à Deo ordinata est. Est Dei minister &c.* Ne igitur tam temerarius esto, ut dicas, Christianum id gerere non posse, quod Dei proprium opus, ordinatio & creatura est; alioquin enim dicendum esset, Christiano non licere edere, bibere, nubere, quia & hæc sunt Dei opera & creaturæ. Si vero Dei opus & creatura est, utique res est bona, ac ita quidem bona, ut quisque ea Christiane & beate uti queat, ut Paulus docet i. Tim. IV. 4. Inter omnes autem creaturas non tantum victui & amictui, sed etiam potestati & subiectioni, defensionis & pœnæ locus relinquendus est. Ac, ut summatim dicam, quia Paulus potestatem dicit Dei ministerium esse, non tantum inter Gentiles, sed inter Chri-

Christianos quoque ea valere debet. Quid vero est, quod dicatur *Dei diaconus*, nisi hoc: potestas ejus indolis est naturâ (*ist von Natur der Art*) ut Deo ea serviri queat. Jam parum Christiane diceretur, esse alicubi cultum vel servitium Dei, quem homo Christianus præstare non deberet, cum id nemini magis conveniat quam Christianis, ac bonum necessariumque sit, ut omnes Principes boni Christiani forent; nam gladius & potestas, tanquam singularis cultus Dei proprius est Christianis præ omnibus aliis in terra. Quapropter potestas secularis eodem censu haberi debet ac conjugium, agricultura, aut aliud quodvis opificium, quæ à Deo ordinata sunt. Quemadmodum igitur aliquis Deo servire potest in conjugio, agricultura, opificio, & tenetur iis proximi commodis inservire, si necessitas postulat, ita quoque proximo inservire potest & debet potestate seculari, ubi necesse fuerit.

Ad objectionem, *cur nec Christus nec Apostoli secularem ad object. potestatem administraverint?* respondet 1. quærendo: cur respond. non etiam Christus uxorem duxerit, sutor vel sartor factus sit? 2. An propterea status vel ordo aliquis sanctus non esset, si Christus in eo haud vixerit? ubi reliqui omnes status, & officia manebunt, præter pastorale, quod solum administravit. 3. Rege-rit, Christum suo munere defungentem alia munera non dam-nasse. 4. Officium Christi id tantum requisivisse, quo ipsius re-gnum regeretur & promoveretur; eo autem nequaquam spe-ctasse, ut maritus, sutor, sartor, agricola, princeps aut carnifex fieret, nec gladium aut jus civile, sed tantum verbum Dei & Spi-ritum, quo intus reguntur ejus cives. 5. Sufficere interea, quod gladium nec prohibuerit, nec sustulerit, sed confirmaverit: quemadmodum sufficiat, quod statum conjugalem non abro-gaverit, licet uxorem non duxerit.

Tom. II. Alt. pag. 262. b. 263. seq.

Ttt tt

§. VIII.

§. VIII.

Verus sensus Matth. V. 39. non resistendum malo, ostenditur.

Ex hisce verum sensum verborum Christi Matth. V. 39. *non resistatis malo* &c. patere (e) ostendit, nempe hunc: Christianum ita promptum paratumque esse debere, ut omnia mala & injurias ferat, vindictam non quærat, nec in judicio se defendat, sed ut omnino pro se nihil opus habeat potestate & jure seculari; pro aliis autem petere possit ac debeat. Sic etiam (ut porro scribit) *Magistratus ipse*, vel proprio motu, vel aliorum monitu, sine propria accusatione injuria affectum juvare & defendere tenetur. Id vero si potestas secularis negligat, convitiis proscindi & lædi se sinat Christianus, & malo non resistat, ut verba Christi sonant, quæ nequaquam pro consilio perfectorum habenda sunt, ut Sophistæ mentiuntur & blasphemant, sed universale & severum præceptum continent, omnibus Christianis datum; ut intelligi inde queat, eos omnes Ethnicos esse sub nomine Christiano, qui seipfos ulciscuntur, aut judicio contendunt litigantque pro honore vel bonis suis. Aliter sane se res non habet: nec multitudine vel consuetudine vulgari movearis; pauci enim Christiani sunt in terra, & verbum aliquid aliud est, quam communis mos. *In annotationibus* ad Matth. loc. cit. (f) in eandem sententiam scripsit & constantem suam mentem expressit, brevioribus verbis. *Sic, inquit, omnino intelligendum puto, doceri patientiam, tam à privatis, quam publicis hominibus.* Hinc non sequitur, non licere implorare Magistratus opem, qui non persequitur, qui non sit hostis, sed in pace nobiscum vivit; quia Christus non dicit: nolite defendi, aut implorare defensionem; sed *vos ipsos nolite defendere*: vos ipsi nolite resistere malo, scilicet publico: nolite vos ipsi dentem pro dente neque exigere privatim, neque facto per seditionem alio Magistratu, publice vindicare; quia non veni, ut novum Magistratum conderem, sed ut docerem vos ferre quaslibet injurias, privatas & publicas, & non resistere utrique malo privata vindicta.

dicta. Hoc sane vellem, ut hoc vocabulum, *licet iudicio contendere*, omnino tollatur; quia sonat pro licentia litigandi: neque Christus hic loquitur de his, qui in iudicio accusant, seu implorant iudicis defensionem; sed de patientibus, qui in iudicium vocati vexantur & condemnantur: hi non contendunt iudicio neque litigant, sed patiuntur. Has *personas passivas* Christus docet patientiam, *non armat activas personas ad litigandum*. Hoc verbum male sonat; tollatur igitur, & loco ejus ponatur: *an liceat &c.*

(e) *Tom. II. Alt. pag. 263.* (f) *Tom. IV. Jen. Lat. fol. 297. b. 298. a.*

§. IX.

Hic porro quæritur: *an etiam carnifex, licitor, juriste, Advocati, & quicquid ejus generis est, Christiani esse & beatum statum habere queant?* Respondetur. Si potestas ipsa & jus gladii est cultus Dei, cu supra probatum, id omne quoque cultum Dei esse oportet, quod facit ad exercendam illam potestatem & jus. Opus sane est illis, qui malos comprehendant, accusent, occidant, & bonos defendant, excusent & liberent. Quare si istiusmodi homines ea intentione faciant officium, ut non se ipsos quærant, sed tantum jus & potestatem adjuvent, ut mali coerceantur, sine periculo est, & ministerio isto fungi possunt, æque ac alii opificiis aliis, unde vivant. Nam dilectio proximi non quærit sua, nec attendit opera, quam magna vel parva, sed quam utilia & necessaria proximo & universitati sint.

Tom. II. Alt. pag. 265. b.

§. X.

Tandem quæritur: *an non in propria causa aliquis gladio uti possit*, non quidem ea intentione, ut sua quærat, sed ut malum puniatur? Respondetur: hoc factum mirabile equidem non est impossibile, sed valde rarum & periculosum. Ubi spiritus tam dives est, fieri potest; sic enim de *Simfone* legimus *Jud. XV. II. feci ipsis, sicut mihi fecerunt*. Sed *Proverb. XX. 22.*

Ttt tt 2

XXIV.

XXIV. 29. diversum dicitur: *noli dicere, ego malum ulciscar; &c, sicut fecit mihi, ita ipsi faciam.* Simson enim divinitus vocatus & destinatus erat, ut Philistæos puniret & Israëlitas liberaret; licet enim occasionem quæreret ulciscendi Philistæos, non tamen id faciebat, ut seipsum ulcisceretur, aut sua quæreret, sed ut aliis inserviret. Hoc vero exemplum imitari nemo potest, nisi verus sit Christianus & spiritu plenus. Si ratio idem conabitur, obtendet quidem, se non sua quærere; sed falsissimum erit; sine gratia enim impossibile est.

Tom. II. Alt. pag. 265. b.

§. XI.

*Potestas
Magistra-
tus non est
absoluta.*

Potestas autem illa, qua gaudet & utitur Magistratus, non est absoluta, ut quicquid libet, liceat. Extant (g) tales voces; Sanctitas, pietas, fides, privata bona sunt, Reges quo libet eant. Rusticum est Principem parere pietatis & justitiæ legibus: *Herrn sollen einen Vortheil haben.* Principes sunt exempti legibus, habent sua privilegia. Ideo quicquid libet licet, *ja Bliß und Donner.* Imo minus licet Magistratibus, quam privatis. Et libido illorum & licentia severius punienda; quia sunt gubernatores & custodes disciplinæ, & debent aliis exempla esse omnium virtutum. Sed clamat: ego sum Princeps & Dominus terræ: cur non possim mihi indulgere? Imo quo major es, hoc magis te humilia, ut & virtute, & bonis exemplis aliis præire possis. Juxta sententiam usitatam: *Regis ad exemplum totus componitur orbis.* Magnatum & Principum prava exempla sunt omnium pestilentissima, & latissime patent, quia multos corrumpunt, & ad licentiam peccandi pertrahunt. Privatorum exempla minus nocent, & facilius corriguntur. Principum delicta sunt plane diabolica. Ideo puniuntur atrociter. Sicut Sichem, dum putat sibi tanquam Principi quidvis licere, horribiles pœnas luit. *Es kost ihm sein Hals.* Et ipse, & parentes, & tota civitas miserabiliter pereunt. In libello de *potestate seculari* se-
mel

mel iterumque citato, graviter etiam hanc opinionem refellit. (h) *Non cogitet* (ait) *Magistratus: mea hæc est regio, mei sunt homines, faciam quæ lubet*; sed ita dicat: ego sum regionis & hominum, teneor ita agere, non ut ego extollar & dominer, sed ut iis bene sit, & ut in pace vivant & defendantur. Christum sibi typum sumat & ita dicat: Christus summus Princeps venit in mundum, mihi serviit, non quæsit, ut ipse potens, dives, honoratus esset; sed omnia fecit, ut meæ succurreretur necessitati, ut in eo & per eum omnia haberem. Ita & ego faciam, in subditis meis non mea quæram, sed officio meo similiter eis inserviam, eos audiam, protegam, & scopum hunc regiminis præfigam mihi, ut illi utilitatem inde capiant, non ego. *Di- Exceptions*
ces, quis hoc modo Princeps esse velit, qui tantas molestias occurritur.
 suscipiet, quis tali Principe miserior esset? delectamentane nulla licebit habere, omittendane est saltatio, venatio, equorum decursio, alea, ludi & ejusmodi plura? Respondeo: non jam doceo, quomodo Princeps vivere debeat, sed quomodo Princeps secularis Christianus esse debeat, ut cælum intrare queat, quanquam id raro fiat (*ein Fürst ist Wildpret im Himmel.*) Neque ideo hæc loquor, quasi sperem doctrinæ meæ locum daturus esse Principes, sed si quis esset, qui libenter vellet Christianus esse, ac scire, quomodo ad verbi divini normam conformare se debeat; hæc enim non flectitur ad Principum placita, sed Principes oportet ad illam regulam se componere. Mihi satis est, si ostendero, non esse impossibile, licet rarissimum sit, ut Principes sint Christiani. Neque enim Deus tam rigidus erit, ut illorum recreationes non ferat, si eas instituant absque damno subditorum, & si officium suum erga eos in charitate exerceant. Hoc sane si præstarent, multæ saltationes, venationes & decursiones per se cessarent.

(g) *Enarrat. in Genes. XXXIV. Tom. III. pag. 1025, seq.* (h) *Tom. II. Alt. pag. 271. a, b.*

§. XII.

*Jus circa
sacra non
nimis ex-
tendendum.*

*prima tabu-
la preferen-
da secunde.*

Quando igitur Magistratus est Christianus, ei potestas & jus circa sacra non potest denegari. (i) *Principale & vere regium officium Regis est, ut verbum defendat, & curet id propagari ad posteros.* Sed horum exiguus numerus est; semper enim major pars Principum & Regum in mundo, oderunt & persequuntur verbum, dissipant Ecclesias & adfligunt pios. Proponuntur igitur hæc nobis in exemplum, & consolationem, ut sciamus, Deum ex tanto numero Principum, qui sunt hostes verbi, eligere unum atque alterum, qui curam gerant Ecclesiæ, ament & discant verbum Dei. Sic *Abimelech* baptisatur in Spiritu S. & circumciditur circumcissione spiritali, & credit in Deum, qui prædicatur & colitur in domo Isaac, fit discipulus, amicus & patronus Isaac. Sed non nimis extendere Magistratus hoc jus, & ante omnia probe distinguere debet duo Adamigenarum genera, de quibus §. III. dictum est. Conscientiis imperare nequit potestas secularis, adeoque non mandare, ut hoc vel illud credant subditi, sine verbo Dei. *Prima enim tabula (k) debet preferri secunde tabula.* Si parentes aliquid contra Deum statuunt, aut jubent, ibi quartum præceptum tollitur, quod antea ratum & firmum erat; quia in primo præcepto dicitur: Deum diligendum & honorandum esse super omnia. Actor. V. 29. *oportet Deo magis obedire quam hominibus.* Ad hunc modum nos in negotio Evangelii decidimus contra Imperium Cæsaris & Papæ, contra universam impietatem Papæ, sine præcedente strepitu juris. Non accusavimus Papam, nec potuimus; quia nullus erat judex. Honoravimus Papam, Parentes, Cæsarem. Sed quia Christus dicit: *oves mea vocem meam audiunt; alienum autem non sequuntur, sed fugiunt:* non fuit expectandum, donec decerneretur humano more, utrum bene an male faceremus, sejungentes nos à Pontifice; quia cognita voluntate divina non est disputandum de juribus, de præscriptionibus aut similibus, sed

sed obtemperandum est sine ulla deliberatione mandato divi-
no, quia neque Papa, neque Parentes, neque Cæsar, hunc ti-
tulum habent: *Ego sum Dominus Deus tuus*. Est sane (1) obedi-
entia illa præstanda, quam præcipit Deus in secunda tabula, sed
faciendi sunt *gradus obedientie*, quorum accurata ratio est ha-
benda. Si enim pugnant inter se prima & secunda tabula, tum
simplex & vera ratio est, qua jubetur secunda cedere primæ;
quia Deus est creator, caput & Dominus patris & matris, po-
liticæ & æconomicæ. Omnia hæc debent esse subiecta creato-
ri. Et quando quaeritur: utrum horum sit deferendum, creator-
ne an creatura? Respondeo: creatura est relinquenda, quia pri-
ma tabula præcedit, cui si est satisfactum, tum etiam secunda
suum locum habet, tum obedias parentibus, feras & patiaris in-
jurias eorum, sed *pro me*, inquit Deus, non contra me & contra
primam tabulam. - Hæc *distinctio necessaria* & utilis admodum *ea distin-*
est. Sæpe autem accidit, ut hæretici ea abutantur, & jactitent *etione abu-*
se habere primam tabulam, & hoc prætextu aboleant secun- *tuntur Pon-*
dam. Ibi accurato judicio opus est. Sic enim Pontifex etiam *tificii.*
jactitat se habere primam tabulam, & ratiocinatur inde: quod
nemo teneatur obedire Magistratui, sed debeant omnes obe-
dientiam Romanæ sedi, cui etiam Imperatores & Reges necessa-
rio sint subiecti, præstare; sed vide, an recte doceat primam tabu-
lam, & quam obrem solvat secundam. Hic igitur accurato judicio
opus est, ut recte accommodetur distinctio, & exigantur man-
data ac doctrina *Papæ* ad veram sententiam præceptorum pri-
mæ tabulæ. Nam & ego doceo Principem nostrum non debere
obedire Cæsari, & absolvo eum ab obedientia, non tantum Pa-
pæ, sed & totius Imperii & Cæsaris. Sed quo jure? Ibi enim
videndum mihi est, ut recte definiam & distinguam obedi-
entiam: hoc jure, quia Cæsar & Papa jubent & mandant contra
primam tabulam. Igitur nec Princeps, nec populus tenetur
obedire mandatis contra Dei obedientiam. Papa etiam absolvie
ab

ab obedientia Cæsaris, & sæpe Imperatores regnis & imperio amovit. Quare? quia mihi non obediunt, inquit: ego sedeo in prima tabula. Sed est hypocrita male intelligens, & depravans doctrinam primæ tabulæ, & falso sibi arrogans, quod non habet. Nos vero recte absolvimus: quia Cæsar & Papa non amplectuntur verbum Dei, sed præcipiunt ea, quæ ex diametro cum verbo pugnant. Ideo docemus obedientiam illam testandam esse. Discendum autem est, ut recte distinguamus inter verbum Dei, quo immediate colitur Deus, & inter obedientiam humanam, qualis est parentum, præceptorum, Dominorum, Magistratum. Hæc enim sunt creaturæ; Ecclesia vero non habet alium doctorem nisi Deum. Igitur nec aliam obedientiam. Quando igitur creator immediate dicit: hoc mihi præstabis, mihi soli obedies, me pro Deo habebis, crede in Christum, hunc audi; ibi nemo alius audiendus est. Ubi hoc audieris, tum demum descende ad obedientiam creaturarum, & obedias parentibus, & Magistratui, quæ cessant, ubi cultus creatori præstandus est, manent autem firma & integra, postquam satisfactum est creatori.

(i) ad Gen. XXVI. p. 262. (k) ad Gen. XXVII. p. 306. seq. (l) ad Gen. XXXII p. 753-759.

§. XIII.

Cura annonæ & rerum necessariorum incumbit Magistratui.

Ut religionis curam habere Magistratus Christianus præcipue debet: ita & regionis & subditorum quoad corpora, fortunasque cura ei demandata est, pacis bellique tempore: Unde exemplum Josephi Genes. XLI. imitari debet, qui in fertilitate & abundantia prospexit Ægyptiis contra futuram egestatem. Hæc politica & necessaria doctrina h. l. tradita est Principibus, ad quos pertinet cura populi, ut provideant illi necessaria ad vitam, carnes, frumentum, vinum præsertim in difficultatibus annonæ. Hoc regium officium est, de quo admonetur Pharaon à Joseph, quia debent esse *patres patriæ & pastores*, non ursi aut lupi. Estque Spiritus S. ordinatio, qui mandat Principibus curam

ram annonæ & rerum necessariarum. Talia officia digna sunt Principibus, & nostris moribus imprimis necessaria. Nos *Germani* enim sumus ventres, ac proci Penelopes, fruges consumere nati: postea vero famis tempore nihil reliquum est, unde egestatem & nostram & aliorum sublevemus. Principes igitur decet prospicere pauperibus, ac præcipue primæ ætati, ne fame pereant. Sicut Joseph consulit regi, non ut rapiat quintam partem, sed emptam pretio congreget, propter futuram sterilitatem, ut Ægyptus & vicinæ regiones ali possint. Nos, qui tali prudentia non utimur, nec cogitamus, de periculo famis, tempore fertilitatis, sæpe subito charitatem annonæ experimur: desunt enim nobis horrea & promptuaria: ita fit, ut statim accrescat pretium frumenti, si vel mediocres tantum proventus sunt. Ita non est avaritia, sed sapientia & pietas digna Principibus providentia hæc, quam docet Spiritus S. in hoc exemplo.

Ad Genes. XLI. Tom. IV. pag. 383. seq.

§. XIV.

De jure belli quæ sentiat Noster, ex dictis patet: iis tamen nonnulla sunt addenda, vel propter *Anabaptistas*, qui non solum impium esse ducunt belligerari, sed etiam hanc sanctitatis laudem putant, si quis sine telo & inermis incedat, abutentes *Jes. II. 4. & Mich. IV. 3. non elevabit gens contra gentem gladium & non studebunt amplius bello.* (m) Atqui primum constat Prophetam hoc in loco nihil agere de Magistratu civili, sed de regno Christi. Relinquit igitur Magistratui Politico suam administrationem integram, ut pax publica conservetur, qua etiam Ecclesiis opus est. Porro sine armis pax retineri nequit, & bella eo fine geruntur, ut non solum depellantur injuriæ, sed ut firma pax constituatur. Si quis igitur ita sacrarum rerum imperitus est, ut hæc eo accommodet, ne Christiano aut arma gerere, aut iis legitime uti liceat, is sententiam Prophetæ ineptissime pervertit. Nam transfert sententiam à Christi regno spirituali ad regnum

Uuuuu

cor-

corporale, idque contra manifestam Scripturam, quæ Magistratui necessitatem imponit, defendendi subditos ab injusta vi, & custodiendæ pacis. Sicut Abraham armis defendit Loth, & Regum historiæ ostendunt, non solum maxima bella gessisse pios Reges, sed etiam consilia eorum fortunasse Deum. Et manifesta sententia est in concione Johannis de pœnitentia, ubi jubet milites contentos esse stipendiis suis. Probat enim armorum legitimum usum, vel concessum vel mandatum à Magistratu, nec jubet abjicere arma.

*non temere
provocandū
ad bella.*

Interim bene monet *Megalander* in lib. de Potestate seculari, (n) Principem non debere audire consiliarios suos & ferreos, atque gloriosos illos (*die Eysenfresser*) qui ad bella capeßenda semper illum incitant dicuntque: fasne est hæc verba, has injurias pati? Miser certe Christianus est, qui propter arcem aliquam regionem totam periculo exponit. Breviter, hic proverbium reputandum & tenendum est: *qui nescit dissimulare, nescit regnare*. Itaque pro regula habeat: uti injuria sine majori injuria puniri non potest, amittenda est ultio utcumque iusta. Suum enim damnum curare non debet, sed aliorum injuriam, quam ferunt super ejus ultione. Quid enim meruere tot fœminæ & infantes, ut viduæ & orphani fiant propter tuam vindictam, quam repetis ab ore vel manu te offendente? Mox ad exceptionem vel quæstionem: an Principi nefas sit belligerare, & subditi militiam detrectare queant? respondet breviter, Principem nullum contra superiores suos, ut Cæsarem, Regem, bellum movere posse, sed vim pati debere: contra pares autem vel inferiores, vel peregrinos Magistratus licite pugnare, si antea, prout Moses Israelitas docet Deut. XII. 10. seqq. pacem obtulerit. Hic enim respiciendos esse subditos, quibus tutela & defensio debetur, adeoque rem in casum dandam, si tota provincia periclitetur, an Deus opitulari velit, ne omnia pessum eant. In hoc casu ait subditos teneri, ut arma capiant, &

corpo-

corpora fortunasque impendant. In tali bello etiam cædes & rapinas Christianismi & charitatis opera esse, dummodo abstinetur à facinoribus adversus sexum sequiorem, & sese dedentes ac subicientes. – Ad injustum vero bellum à Principe motum, subditos nequaquam obligari censet, si de injustitia certi sint: at si ignorent, & adhibita omni diligentia resciscere nequeant, sequi posse, absque animarum periculo.

(m) *Tom. IV. Jen. Lat. fol. 563. a.* (n) *Tom. II. Alt. p. 272. b. 273. a.*

§. XV.

De *jurisdictione criminali* nihil opus est multa addere, *jurisdictionis* cum ex asserto jure gladii id facile colligi possit, præsertim ex *criminalis* Genes. IX. 6. Vid. §. II. Hic enim (o) *communicat Deus potestatem* *asserta.* *tem suam cum homine, & tribuit ei potestatem vitæ & mortis inter homines, sic tamen, si sit reus effusi sanguinis.* Qui enim non habet jus occidendi homines, & occidit tamen hominem, hunc subjicit Deus non solum suo iudicio, sed etiam gladio hominis. Itaque si occiditur, etsi gladio hominis occiditur, tamen à Deo recte dicitur occisus esse. Cædes quidem (p) est prohibita in quinto præcepto, sed Deus jubet uti Magistratum gladio in prima tabula: *mihi vindictam, & ego retribuam.* Magistratus igitur occidit non virtute secundæ sed primæ tabulæ: neque est cædes injusta, quanquam est revera homicidium. In *regno Politico* (q) pœnarum exempla extare oportet, *da muß* *Meister Hans das Schwerdt führen/ Galgen und Rad brauchen/* in terrorem & documentum cæteris, etiam cum remittitur peccatum. Sicut furi ignoscitur quidem, nihilominus tamen agitur in crucem. Peccatum à Deo condonatur his, qui capitali pœna affiendi sunt, sed licet non remittit, quin legibus constitutam pœnam exigit. Sicut inquit Paulus: *potestas non sine causa gestat gladium, Dei minister est, vindex ad iram,* sive ad sumendum supplicium de eo, qui, quod malum est, fecerit: & tamen non damnatur fur aut homicida &c. si pœnitentiam agit

Uuu uu 2

& cre-

013723

& credit in Christum, nec post mortem sentit ignominiam crucis, sed posteri in eam intueri debent, ut cogitent, si furaberis, tu quoque similiter lues. Hæc doctrina necessaria, & retinenda omnino est in mundo; ideo ferunt Imperatorem *Maximilianum*, quotiescunque præteriret locum supplicii publici, aperto capite eum salutasse his verbis: *salve sancta justitia!* Nisi enim essent pœnæ & supplicia, nihil proficeremus nostris concionibus, & remissione peccatorum, & vulgus ad infinitam licentiam peccandi abuteretur doctrina de misericordia Dei. Cum igitur hujus populi regnum esset Politicum quoque, statuenda fuit pœna in tam indignum facinus aliis in terrorem, ut scirent esse Deum etiam comminantem & punientem, non solum promittentem, Ecclesia habet suam pœnam excommunicationem, quanquam ea minus curatur, quam politica. Ita *Ruben* propter suum scelus veluti speculum propositus est aliis, in quod intuerentur contumaces, immorigeri, & contumelia afficientes parentes suos, ut occurreretur huic pessimo scandalo. Ideo noluit Deus in Politia id impune esse. Et si quando cessat Magistratus, divinitus ad supplicia rapiuntur facinorosi.

(o) ad Genes. IX. p. 416. (p) ad Genes. XXI. pag. 756. (q) ad Genes. XLIX. pag. 1001. seqq.

§. XVI.

Potestas iuramentum imponendi.

Huc quoque refero potestatem Magistratus imponendi iuramentum. Quod Moses discrete dicit *Abrahamum* jurasse, id videtur esse contra Evangelii sententiam, & Christi mandatum Matth. V. 34. Sed necessarium hoc exemplum est, quod *Abraham* non recusat iuramentum, & docet suo facto, *moralia & civilia ista nec contemnenda nec negligenda à sanctis, prætextu religionis.* Ac Spiritui Sancto agenda sunt gratiæ, quod ita describit sanctorum Patrum historias, ut sint exemplaria, non solum fidei & superiorum virtutum, sed etiam in civili genere vitæ contra insensatas statuas *monasticas*, quæ omnem humanitatem

tatem

eatem & civilitatem exuunt, hoc scilicet pacto mortui mundo,
 & tamen vivacissimi in omnibus generibus vitiorum. Dicit igitur
 Abraham vivum testimonium contratales, quod scilicet vita
 civilis & actiones civiles Deo non displiceant. Quod autem
 ad *mandatum Christi* pertinet, *omnino non jurabitis*, ea quaestio
 facillime dissolvitur, si causas inspicias, quas Moyses in hac hi-
 storia pulchre ostendit. Potest vere & simpliciter responderi,
 justum non peccare, etiam cum jurat, sed gratum officium fa-
 cere Deo & hominibus; sed causarum explicatio facilior est.
 Efficiens causa est, quod Abraham non temere, sed à rege sic
 jussus jurat. *Non enim detrectanda* hic est *Magistratus civilis au-*
toritas, sicut stultum *Anabaptistarum* vulgus delirat. Conve-
 nit igitur juramentum à Magistratu impositum cum mandato
 Dei, qui jussit Magistratui obedire. Altera causa finalis osten-
 ditur etiam hic, ut hoc pacto pax inter familiam Regis & Abra-
 hae sanciat: sicut enim Sacra Scriptura dicit, juramentum
 est finis omnium controversiarum, hoc est, finit controversias
 & lites, hoc quis negaverit sanctum & bonum opus esse? Per-
 tinet autem ad *secundum praeceptum*; qui enim verum juramen-
 tum Magistratui deferunt, honore afficiunt Dei nomen, & ve-
 ritatem ornant, suspensiones autem tollunt. Pii igitur benefa-
 ciunt, cum per juramentum dant testimonium veritati. Con-
 tra impii nihil recte faciunt, quia semper habent annexum ti-
 tulum: hi errant corde. Respondemus ergo ad quaestionem,
 qui temere jurant, & veritati non patrocinantur, horum jura-
 mentum ex abundanti, & malum est: ubi autem juramentum
 servit veritati, & ad retinendam benevolentiam ac concor-
 diam utile est, ibi recte jurare, non est contumelia nominis
 Dei, sed honor, ut scilicet timeatur Deus, & maneat pax &
 tranquillitas. Gubernat igitur etiam civiliter sanctum Patriar-
 cham Dominus, & defendit contra invidiam, permittens uti
 eum legibus & moribus civilibus, & ut se usitatis ritibus homi-

Uuu uu 3

num

num accommodet ad servandam pacem publicam. Non enim resistit in hac parte Philosophiæ & legibus Scriptura sancta, sed confirmat eas, & ex juramento ceu Sacramentum quoddam facit, siquidem conjunctum est cum nomine Dei. Et pertinet ad reconciliandos animos, & tollendas lites ac suspiciones. Conf. *Catechisin. maj. pag. 419. seq.*

Comment. in Genes. XXI. pag. 1017. seqq.

§. XVII.

*Ad hoc mu-
nus divina
sapientia &
directio re-
quiritur,
qua cœlitus
exoranda
est, exemplo
Salomonis*

Ut vero hæc omnia Magistratus rite & salutariter exsequatur, incredibili opus est prudentia & assiduitate; nec sola humana sufficit. Salomo, sapientissimus Regum Cantic. I. 6. (r) *posita sum custos super vinea, verum vineam meam, quam habebam, non custodi vi*, aperte fateretur, non posse humano consilio respublicas teneri, sed longe *minorem esse omnem humanam sapientiam*, quam quæ ad tantam rem sustinendam sufficiat. Ratio in promptu est; sint quantumvis boni, pii, sapientes Principes, non tamen mederi omnibus vitiis possunt. Tanta mundi est malitia, & illi ipsi, qui in vinea sunt, se opponunt & resistunt, ac nolunt regi. Quid igitur faciendum est? Num ob tantas difficultates & molestias republ. deferendæ? Non. Sed quantum potest, debet illa nigredo ab oculis removeri, & occupari animus meditatione beneficiorum Dei, quæ in verbo promittit & exhibet quoque: deinde exemplo hujus Regis, *orationem confugiendum est: indica mihi tu, quem diligit anima mea*. Hæc est oratio, in qua fateretur, sibi deesse sapientiam & vires bene administrandæ Reipubl. Sic Dux Saxonie *Fridericus ad Staupitium* dixit: minus minusque se scire, quomodo administrarent Ducatum suum, adeo neminem esse, cui tuto aliquid committere possit. Sic *Cicero*, post bellum civile hanc vocem indignationis & desperationis plenissimam edidit, *o me frustra sapientem putatum*. Pii ergo Principes exemplo Salomonis *orent & dicant: o Deus Creator & gubernator omnium, quem ani-*
ma

ma mea diligit, indica quo modo vinea mihi commissa sit custodienda &c. Donum ingens Dei est sapientia illa gubernatrix è cœlo veniens. *Quando Deus bene (s) vult alicui regioni, donat populo bonos Principes, & eos gubernat, juxta illud Prov. VIII. 15. per me reges regnant, & principes decernunt justa*, quod non potest fieri, nisi per sapientiam divinam, quæ regit principes in salutem subditorum, nimirum quando loquitur cùm Regibus & Principibus, nec loquitur tantum, sed & interpretatur suum sermonem. Talia imperia sunt sane optima & florentissima. Princeps enim, ut est apud Esa. XXXII. ea, quæ digna sunt Principe, cogitabit, & perseverabit in liberalitate. Hic vero requiruntur ejusmodi gubernatores aut consilarii, qualis hic *Joseph* fuit, donati à Deo, quem oportet suggerere sapientiam & consilia principibus sive in propria persona, sive per *Naaman* aliquem Syrum, aut *Nathan* apud Davidem, qui habent consilium Dei, habent verbum & prophetiam Dei. Hæc est salus & benedictio terræ, ubi Deus non solum ordinat & instituit politiam, sed & gubernat singulari bonitate & gratia. Insignis igitur & memorabilis hæc concio est, quam habet *Joseph* apud Regem. Deus loquitur tecum, ô Rex, & nūciat tibi res maximas, quas gesturus est in tuo regno, ego non sum, qui hæc edisseram, sed Deus in somnis per visionem tibi revelat. Hoc beneficium decet te agnoscere. Fuit itaque prophetia in illo populo, & *Joseph* fuit salvator *Ægypti*: ea vero si deficiat, turbantur imperia, sicut inquit Salomo Proverb. XXIX. 18. *cum prophetia defecerit, dissipabitur populus*; sin adest prophetia, hoc est, consilium divinum & verbum, ac Princeps ei obsequitur, eam profecto rem publicam vere beatam ac florentem dixeris. Actale tum fuit regnum *Ægypti*, non pollutum criminibus & flagitiis enormibus, propter quæ solet Deus punire & evertere imperia per tyrannos, sed Deo placens, & gratum, siquidem tam clementer ei prospicit ad futuram famem. Ideo inquit *Joseph*: *God hat dich lieb!*
quia

& Joseph

quia

*in fide &
invocatione
omnia ge-
renda, si fe-
lix successus
sperandus.*

quia revelat tibi opus & voluntatem suam. Atque ita commen-
dat & ornat politicam, quia vult cum *humilitate & timore Dei*
servire & consulere, & monet quoque regem, ut cogitet se esse
in administratione divina, & *opus habere invocatione*. Quid
enim profuissent omnium sapientum & sacerdotum consilia,
cum futura fames ipsis quidem ignota esset? Quin & regi & toti
regno simul pereundum fuisset. Humiliare igitur ô Rex, &
agnosce Deum, qui dat verbum & interpretationem, quam si
fueris amplexus, regnum tuum felix erit ac laudatissimum
apud Deum & homines. - Memorabile igitur est exemplum
Josephi, qui haud dubie fuit vir sanctus, plenus Spiritu S. nec pro-
cessit secundum gesta & vires liberi arbitrii, sicut nos cum de
Alexandro Magno, *Scipione* & aliis heroibus audimus, qui res
præclaras gesserunt sine verbo & invocatione, somniamus nos
pares iis fortitudine & aliis virtutibus, & præstantissima quæque
eorum facta imitari posse. Verum fortuitæ tantum, ac promif-
cue in quoslibet diffusæ virtutes & actiones illorum fuerunt,
non exempla ad imitationem proposita. Talis non fuit *Joseph*,
qui rationis aut liberi arbitrii consiliis & sapientia niteretur, sed
meditatus est in lege Domini die ac nocte, & ardenti fide Deum
invocavit. *Fides* autem non est *otiosa*, sed exercetur verbo &
oratione. Econtra homines prophani, qui sunt sine verbo &
oratione, licet multa præclare faciant, ut *Alexander* & alii he-
roes, tamen sunt fortuita & dispersa dona, sicut sol super bonos
pariter & malos radios spargit, ac talia sunt omnia bona tem-
poralia. *Biblia* vero non sic docent de administratione rerum po-
litarum, sed loquuntur de piis incedentibus in verbo & invo-
catione. Itaque & *Joseph* nihil egit sine precibus ad Deum, præ-
sertim cum evocaretur ad interpretationem somnii regis. Ibi
haud dubie oravit: Domine Deus, vocor ad enarrationem somnii
regii, da gratiam & Spiritum S. ut possim recte interpretari. Ideo
venit in fide, nec dubitat de significatione ejus. Sicut *Daniel*
quoque

quoque impetrat à Deo humili oratione, ut monstretur visio Nebucadnezaris, & interpretatio simul. Est igitur hæc vox humiliantis se coram Magistratu: *etiam absque me respondebis Deus, quæ ad pacem sunt Pharaoni.* Q. d. etiamsi ego non respondero, qui sum indignus tanto dono; tamen Deus inveniet alium interpretem. Hæc reverentia erga Regem memorabilis est; quia statuendum est, politiam esse ordinationem divinam, perinde ut conjugium, & Ecclesia, & quicquid boni in illis ordinibus sit, divinum est, & impetratum à Deo precibus piorum. Sic enim ait sapientia Proverb. VIII. *per me regnant Reges & Principes decernunt justitiam.* Rursus vero cap. XXVIII. *propter peccata terra multi Principes ejus.* Item: *Leo rugiens & ursus esuriens princeps impius super populum pauperem.* Et Hiob capite XXXIV. *qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* De his non dicitur: per me reges regnant. Sed quando Deus favet alicui ditioni, *in ea regnat ipse per Magistratus.* Sintrascitur, tum Principes decernunt iniqua, deglubunt populum, & multiplicant impietatem & idola in terra, sicut apparet in Manasse, Ahab & aliis. Cum igitur sciat Joseph politiam esse administrationem & ordinationem divinam, humiliat se & refugit, cum vocatur ad consilium tantæ majestatis. Fuit enim vir sapiens & intelligens, ideo cogitavit: quid ego miser homuncio consulam regno Ægypti & Regi potentissimo? Est divina ordinatio, & eam gubernare non est puerorum, nec impiorum: nisi cum fortuito dono & misericordia dederit Deus heroem aliquem, Alexandrum, Scipionem, Augustum &c. Sed *consequentia & imitatio illorum exemplorum nihil valet.* Sicut Absolon regnum patris invadit, & arrogat sibi potestatem judiciorum & totius administrationis regis, 2. Sam. XV. *quis me constituat judicem super terram, ut ad me veniant omnes, qui habent negotium, & juste judicem?* Homines stolidi & arrogantes non intelligunt, quanta res sit servire ordinationi divinæ in imperiis. Aut

XXX XX

enim

fiducia sapientia vel virium

proprium
inanis est:

nec valet
ratiocina-
tio ab ex-
emplis sin-
gularibus
Gentilium.

formula
orationis.

enim comicum illud somniant: me regem esse oportuit: aut cum Reges & Principes se natos esse intelligunt, simul etiam sapientiam & vires idoneas ad regnandum sibi arrogant. Profecto non est humani consilii & prudentia imperare aliis. Et manifesta stultitia & furor est impiorum, qui ambiunt & ingerunt se Rebus publicis, quas tandem etiam evertunt, nisi Deus fortuito miseratus rerum communium, obiciat Alexandrum, aut similem aliquem heroem. Tamen non valet ratiocinatio à talibus exemplis: illi sine luce divina feliciter & magna laude præfuerunt aliis, ergo eodem successu & ego utar, quia est dissimilitudo infinita. Itaque qui accedunt ad Rempublicam, aut quamcunque aliam gubernationem, qui adhibentur ad consilia aularum, ad humilitatem & timorem Domini se parent. Sicut Pharaon Ethnicus Rex non nititur sua prudentia, sed cum reverentia consulit alios, qui valent iudicio in rebus politicis & religione. Multo magis vero Joseph reveretur & timet Deum, ac modestissime respondet ad petitionem regis: *ach was bin ich & Du kans wohl durch einen andern machen.* Hæc exempla diligenter observanda sunt, nec dubitandum est politicam potestatem esse rem divinam, ordinatam ad utilitatem hujus vite & Ecclesie quoque, cui servit, quando colit & conservat pacem; quanquam ipsa aliam administrationem habet, quæ pertinet ad futuram vitam. Deinde cum constet esse ordinationem Dei, non in manibus & consiliis nostris positam, debemus flectere genua, & cum reverentia & timore invocare Deum: Domine Deus ego sum Princeps, Magistratus, Consiliarius, Præfectus, Concionator, Doctor, tua autem est gubernatio, tuum est regnum, iudicium & consilium omne, da mihi hanc gratiam & facultatem, ut sint felicia consilia & actiones meæ. Non sic sentiendum est, ut multi gloriantur insulsiissime, se tantum valere iudicio, consilio & eruditione, ut vel decem imperiis præesse

præesse queant. Hæc jactantia sane causa est tot confusionum & tumultuum in Republica.

(r) *Tom. IV. Jen. Lat. fol. 274. b.* (s) *ad Genes. XLl. pag. 358-361.*
Es pag. 370. seqq.

§. XVIII.

Quare etsi custodire civitatem & vigilare &c. secundum carnem in nostra potestate esse videantur, tamen revera longe supra nos sunt posita, & est erudiendus pius animus, ut sciat se in illa gubernatione, vel privata, vel publica, esse tantumquam instrumentum divinum. Itaque ad Deum est respiciendum ac statuendum, quod ex ipsius gubernatione eventura sint omnia, supra & ultra, quam nos cogitare possumus. Hoc qui non vult credere, is feret præmium hic propositum, nempe, quod omnis conatus, consilia, studia, labores omnes erunt frustra. Diserte enim dicit: *nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam*, (Psal. CXXVII. 1.) - Quare particula DOMINUS, in primo & secundo versu cum Epitafi est legenda, ut respiciat antithesin, nisi Dominus ædificaverit, custodierit &c. Dominus dicit, non homo, aut nos. - Quare voces, *nisi Dominus*, grandioribus literis sunt scribendæ; quia natura humana maxime contra eas pugnat, idque vitio lapsus Adæ, quod omnia in nos transferimus, quæ à Deo accepimus, quæque Deo tribuenda sunt, arripimus tanquam nostra. Et Satan quoque Naturam sua sponte huc inclinatham, magis impellit, ut & infelices simus & nunquam quieti. Si enim absque hoc vitio *presumptionis* essemus, plus quietis & fortunæ haberemus. Deus enim diceret: tu habes me pro creatore & donatore, ego igitur tibi benedicam; quia autem hoc non facimus, ideo variis ærumnis & calamitatibus nos obruit, quibus docere vult, ut Phrygum more icti sapere incipiamus, & discamus nos non esse dominos rerum istarum. - Hoc est vitium nostrum, & non Creatoris, quod habemus ex primo & originali

Xxx xx 2

pecca-

*presumptio
regna per-
dit.*

peccato Adæ, dum non agnoscimus donantem & gubernan-
tem Dominum, sed omnia agimus sine timore, fiducia propria-
rum virium. - Ideo regna & imperia ruunt, unum post aliud.
Et ego plane in ea opinione sum, Monarchias longe diutius fuis-
se duraturas, si Monarchæ hoc unum pronomen *ego* omisissent,
hoc est, si non fiducia potentia & sapientia suæ superbivissent.
Jam cum Monarcha *Babylonis Nabuchodonosor*, præsumptione
virium suarum inflatus dicit, *ego hoc feci*, septem annis tanquam
bestia herba vescitur, & in agris errat. Sic *Persarum*, sic *Græco-
rum*, sic *Romanorum* Monarchia ob præsumptionem vastata est,
cum canerent, *ego feci*, mox secutum est illud, *ego perii*. Cir-
cumspice hic omnia regna, Principes & Respubl. omnes, quan-
do rebus gestis addiderunt hanc vocem, hoc *ego feci*, corrue-
runt; quia excludunt per hanc superbiam Deum tanquam stul-
tum, & se in ejus locum collocant. Fit igitur ut consilia huma-
na, potentia, & vires nostræ deficient. Sic hodie non deessent
nobis muri, non alia munimenta, si non deessent homines.
Horum maxima penuria jam est, & qui præsentem
fortunam non possunt ferre, sed insolescunt potentia & opibus,
munitionibus fidunt, quas habent: quasi vero difficile sit Deo
dissipare etiam ferreos muros, & montes auri. Neque autem
hæc eo dico, quod non sint muniendæ urbes, & paranda præsi-
dia contra vim, quod non sint constituendæ leges & retinenda
disciplina publica. Hæc recte fieri & debere fieri dicimus, non
damnamus *jureconsultos*, non damnamus *milites*, sed additamen-
tum illud, quod assuunt, damnamus, quod scilicet in frontibus
suis pingunt, *ego*. Hanc additionem neque vult ferre, nec potest
ferre Deus, nec debet etiam ferre. Mundus autem quia non
potest omittere, ideo Monarchia post Monarchiam, Princeps
post Principem, Respubl. post Rempublicam corruit. - Hinc
dicit Psalmus: *nisi Dominus custodierit* &c. Pone igitur nomen
DOMINUS in prædicamento relationis, contra nostrum ori-
ginale

*Munitio-
bus non fi-
dendum.*

ginale peccatum & contra naturalem præsumptionem nostram. Q. d. ego quidem sic dico, infelicitè custodiri civitatem, nisi Dominus custodiat; sed est alius quidam Dominus, qui vult gubernare ista, nostra scilicet sapientia & præsumtio, quæ, contento Deo, præsumit gubernationem tantarum rerum & excludit Dominum. Hæc causa omnium malorum est, & tandem tamen præsumptuosi experiuntur, se FRUSTRA vigilasse & laborasse. - Ideo non satis fuit Salomoni, affirmative dicere: ipse Dominus gubernat & facit civitatem: ipse Dominus ædificat domum, & constituit familiam; sed ponit etiam negativam, vos non facitis, hoc enim est boni doctoris; sed *mundus negativam non potest ferre*, vult dicere: ego hoc volo, ego hoc feci, ego hoc faciam, vult esse gubernator Rerum publ. & vicem Dei obire. Fert igitur meritum fructum, quod vana tentat, quod frustra sunt labores, & studia omnia, sicut dicit Ps. LXXVIII. *defecerunt in vanitate dies eorum*, id est, prius mortui sunt, quam hoc perficerent, quod conabantur. Quia enim nolunt credere, Deum gubernare omnia, ideo experiuntur vanitatem & frustraneum laborem, & merito. Cur enim nos, qui sumus *secunda causa*, imo *organa* constituta, præsumimus esse prima & principalis causa? perinde ac si securis præsumat esse faber, aratrum præsumat esse agricola, calamus scriba &c. Maneat igitur unusquisque nostrum in suo ordine & conditione, & sciamus Deum hoc à nobis exigere, ut dicamus, credo in unum Deum, hoc est, Deus vult manere Deus, creator & factor omnium, nos autem vult habere cooperatores, seu potius *instrumenta, non auctores*. Quia autem postulamus esse auctores, fit ut inde habeamus vanitatem & panem afflictionis. - Viderunt hoc gentes quoque, *Gentiles & ideo dixerunt fortunam domari in omnibus. Si enim sapientia ventum infatis esset ad res bene gerendas, Cicero & Demosthenes non essent falsi suis sapientissimis & honestissimis rationibus; si potentia & robur, Hector apud Poëtam Trojam, Caesar Julius Roma-* *constantiam fortune tri-* *buerunt.*

XXX XX 3

num

num Imperium, servassent. Non enim sapientia, non potentia, non cura, non sollicitudo, summis viris defuit, non defuit mane surgere, & tarde cubitum ire, non panis doloris, & tamen misere perierunt omnes, ac falsi sunt. Coacti igitur sunt dicere, fortunam dominari in rebus; item, casu omnia ferri; quia quo sapientiores fuerunt, eo fere stultius administrarunt omnia, & major felicitas tyrannos sæpe secuta est, quam summos in Republ. viros, sicut ex Aristotele quoque citarunt, ibi maiorem esse fortunam, ubi intellectus est minor. Quanquam enim *Aristotelis* alia sit sententia, verum tamen est, quod summa sapientia evertit summa imperia, sicut proverbio quoque dicitur, *sapientes viros non leviter peccare*. Quanquam igitur Gentes non illuminatæ verbo Dei, sed tantum experientia doctæ, faterentur res non gubernari sapientia & potentia, sed fortuna; tamen non abstinuerunt à præsumptione suæ sapientiæ, & potentiæ, sed gubernari Republ. propriis consiliis voluerunt. Post, cum res aliter cederet, agnoscebant errorem, & fortunæ tribuebant omnia. Nos non debemus fortunæ illa tribuere, nisi fortunam voces, quando sapientibus & potentibus, ac mane surgentibus aliter cedunt sua consilia, quam præsumebant, sed iudicio Dei, qui præsumptionem sic punit. Quare enim homines præsumunt esse sapientes & potentes in iis rebus, quæ sunt positæ supra sapientiam & potentiam humanam, ac quæ reguntur divinitus? Cur non ibi utuntur sapientia & potentia sua, ubi Deus voluit, nempe in rebus infra se positis, de quibus dicit Gen. II. Merito igitur falluntur, & clamant, fortuna omnia fieri. Sed nimis sero, post perditas scilicet Republ. & eversa imperia. *Stultorum* enim hoc *carmen* est, dicere, *non putaram*, & accusare fortunam. Neque enim fortuna facit, ut fallant consilia nostra, sed tua stultitia & ignorantia Dei & tui. Primum, quod non intelligis, quis tui sis. Deinde, quod non vides, quod sit mandatum Dei, & quatenus te voluerit præesse rebus; altius incipis *carmen*, a sinorum

rum

rum more, ergo male desinis. Hoc postea cum vides, clamas, nullus est Deus, nulla est providentia divina; quia sapientissimi Principes non perficiunt hoc, quod sapientissime constituerunt, potentissimi Reges non efficiunt hoc quod possunt. Iniquus igitur est Deus, aut plane nullus, quia alioqui respiceret sapientes viros, & omnia sic gererentur, ut destinavimus.

Tom. II. *Jen. Lat. fol. 464. -- 469. a.*

§. XIX.

Hæc tamen non eo trahi debent, ac si sapientia & industria, & cætera bona negligenda, & obvii quique rudes & imperiti eligendi sint, qui munere Magistratus fungantur. (t) Nam *bestia* reguntur viribus & arte: homines autem regi oportet sapientia & intelligentia. Hinc Moses Dei concessu & jussu eligi voluit viros sapientes, intelligentes & notos in tribubus Israël, ut principes constituantur, Deut. I. 15. Notos appellat, qui sint cogniti in populo, multo autem magis, qui sint experti & rerum gnari, ut eosdem notos & scientes intelligas. Sapientes sunt, qui divina & humana sapiunt, nempe, qui leges & jura, aut omnia necessaria pro hominum vita sciunt. Intelligentes Ebraice vocantur, qui intenti, & acri judicio observantes, ceu animo vigilantia sunt, & qui de omnibus recte & sane judicent, & Epikiam calleant. Siquidem multa imponunt sapientibus, nisi & intelligentes sint, & multa fallunt, nisi experti & scientes sint. Vides itaque divino jure nullam haberi rationem divitum, potentum, nobilium, fortium, amicorum, in gerendo Magistratu, ut mundus solet, sed sapientum, intelligentium, & expertorum, etiam si sint pauperes, despecti, infirmi &c. Et sane quæsitum est, an melior sit, bonus princeps & imprudens, vel prudens, tamen & malus. Certe utrumque hic Mose requirit, tamen, si utrumque haberi non potest, melior est prudens & non bonus, quam bonus & non prudens. Quod bonus prorsus nihil regit, sed solum regatur, nec nisi à pessimis, prudens etiam nocet bonis, tamen malos simul regit, id quod mundo est magis necessarium & commodum,

*Sapientia
tamen &
industria
non damna-
tur, sed re-
quiruntur.*

*Exemplum
regis
sapientis
et
modum*

modum,

modum, ut qui est aliud nihil, quam quoddam malorum vulgus. Hanc sententiam & hic Moses probare videtur, dum primum de sapientia disputat principum, deinde bonitate.

*at ei non
innitendum*

Admonendi tamen & erudiendi sunt Magistratus, (u) ut invocent Deum, & cum timore administrent negotia; ut sicubi non succedunt consilia, sentiant Deum id facere ad trānandam superbiam, ne fidant suæ sapientiæ & potentiæ. Effet enim occasio infinitorum malorum, si succederent omnia. Nunc autem cum fallitur sapientia, & frustratur potentia, discunt propria experientia, alium esse Dominum invocandum, & præficiendum Reipubl. qui adsit & gubernet, ac sapienter cogitatis addat successum, ut ita confugiant ad orationem & dicant: ad sis ô Domine, ipse gubernes &c. Deinde sciant se habere promissionem largam, quod Dominus invocatus velit exaudire & adesse. Particula igitur, nisi Dominus custodierit, posita est contra illos, qui non invocant, sed ipsi sua sapientia & viribus suis ædificare domum, custodire civitatem volunt. His dicitur, quod frustra laborabunt & custodient.

(t) *Tom. III. Gen. Lat. fol. 81. a. b.* (u) *Tom. IV. Gen. Lat. fol. 465. b.*

§. XX.

*Exemplo Jo-
sephi super-
bia resiten-
dum.*

Tametsi igitur natura omnium hominum ad superbiam proclivis sit, & eam plerumque excitet & augeat in nobis honorum aut potentiæ, sive in gubernatione, sive aliis ordinibus dignitas & eminentia, non tamen propterea fugienda erit administratio, cum ad eam legitime quis vocatus fuerit; sed danda opera, ut exemplum & mores Josephi oculis & animo tuo perpetuo obversentur, ut memineris timoris & reverentiæ Dei, neque obliviscaris tui, sed reputes tecum qui sis, qui fueris, qui futurus sis. Nullius enim tantus splendor & magnificentia fuit unquam, quem non tandem vermes absumpserint. Quid superbis ergo cinis & pulvis? fili maledictionis & iræ? Atqui natus sum præclaro & illustri stemmate, sum Doctor juris, sum Philo-

Philosophus. Recte sane. Sed his omnibus utendum est, non fruendum, juxta distinctionem Augustini, & ut Paulus de Davide inquit, Actor. XIII. cum administrasset voluntati Dei. Sic Joseph non superbit propter pompam illam regiam & personam, quæ est Princeps Ægypti, sed administrat voluntati Dei. Quæ est autem voluntas Dei? Nimirum ad conservationem hujus vitæ opus esse Magistratu, Doctoribus, Principibus, ad frenandam licentiam vulgi, & ad tuendos miseros, & puniendos improbos. Si enim esset absque his statibus, nulla posset esse tranquillitas & pax. Voluntas igitur Dei est, ut per discrimina illa ordinum in administratione politica vitam tranquillam degamus sine injuriis, cædibus, rapinis. - Verum hoc tempore paucissimos invenias, qui actiones suas ad Deum referant, omnes enim sibi sunt Principes, & insistent omnia ad suas voluptates & commoda privata. Itaque *harpæ, imo diaboli sunt, qui debebant esse Principes & patres patriæ*: quia efferuntur & insistant, dignitate & nobilitate generis, aut aliis dotibus animi, quæ requiruntur ad politicam administrationem. *Ich bin von Königlichem Stamm/ bin vom Adel/ ich hab auch ein Köpff/* sum Doctor, sum Jurisconsultus. Tales scilicet sibi docti, sibi reges, sibi nobiles sunt, sed titulis eorum, quos tantopere prædicant, inscribendum erat: *terque quaterque furiosus*; quia arrogantia sua excecati, ignorant hoc, quod omnibus debebat esse notissimum, nimirum miseriam, in qua concepti & nati vivunt, rei mortis, & iræ æternæ, quæ super eos est: non vident etiam quantum in eo peccent, quod *persona & munere suo abutuntur* ad perniciem subditorum aut auditorum. - Hoc igitur exemplum Josephi instar machinæ & arietis est, qui in horribilem superbiam mundi torquetur, & omnes Principes, Reges, Doctores confundit. Hæc enim vera virtus longissime antecellit reliquas omnes, quibus superavit tribulationem & angustias carceris. *Hic lucet timor & reverentia Dei, contemptus sui*

Yyy yy

ipsum,

*larvis Ma-
gistratum
utendum,
non fru-
endum.*

ipſius, & charitas erga proximum. Scit enim ſe circumferre car-
nem plenam peccatis, maledictioni & iræ Dei obnoxiam, inſtar
aliorum hominum, deinde premitur gravifſimo onere guberna-
tionis univerſæ Ægypti ſpiritualiter & politice, ac novit ſibi
fore reddendam rationem ſui muneris & adminiſtrationis. Si
id in mentem nobis veniret, longe ſubmiſſius nos gerere-
mus. Sunt quidem neceſſariæ *larvæ ille judicium, Magiſtratum,*
præceptorum, doctorum, jureconſultorum, ſed hiſce omnibus uten-
dum eſt diſtinctar, non fruendum. Non enim tu iſes, qui à reli-
quis adoretur, ſed divina voluntas eſt, ut gubernetur & conſer-
vetur hæc vita, ut diſſolvantur opera diaboli, & ut retineatur
pax & diſciplina. Hic debet eſſe *finis omnis* gubernationis. Non
enim reſpicit Deus ullam perſonam in conferenda ſalute. Cur
igitur creat & conſtituit hos ordines & gradus ſocietatis huma-
næ? Ideo, ut te ſub onere hoc humiliet, & deducat ad agnitio-
nem imbecillitatis ac miſeriæ tuæ. Hoc Dei conſilio tu abuteris,
& vertis in contrarium ad ſuperbiam & ſaſtum, cum ſit volun-
tas Dei, ut ſubiſtis larvis ſervias ordinationi ejus, & neceſſitati
humanæ, cui voluit ſuccurrere hac ratione, ac propterea man-
davit honorem haberi Magiſtratu, ſicut ſcriptum eſt: cui ti-
morem, timorem, cui honorem, honorem. Quia ſine hiſ lar-
vis non poſſet conſervari pax & diſciplina.

Ad Geneſ. XLl. pag. 417. ſeqq.

§. XXI.

*Finis & ſco-
pus Magi-
ſtratus.*

Ex hiſ etiam ſatis liquet, quem ſcopum finemque ſibi pro-
poſitum habere debeat Magiſtratus. Complectar tamen proli-
xius forte dicta brevibus verbis, è libro de *potestate ſeculari*, La-
tine redditis. *Quicumque*, inquit, Princeps Chriſtianus eſſe vult,
iſ proſecto hanc opinionem deponere debet, quod omnia vi &
potentia agere velit. *Maledicta enim & damnabilis eſt omnis vi-*
ta, quæ ſibi ſuiſque commodis ſervit, ac eum in finem quæritur:
maledicta omnia opera, quæ non in charitate ſunt; tunc vero

ex

ex charitate fiunt, quando non diriguntur ad propriam voluptatem, utilitatem, gloriam, commoditatem & salutem; sed ad aliorum duntaxat commodum, honorem atque salutem, ex toto pectore. Nihil ergo hic dicam de civilibus causis & legibus Magistratus, quia hoc nimis prolixum foret, & plus satis librorum Juridicorum suppetit. Quanquam si Princeps non sit prudentior, quam omnes ipsius consiliarii, nec plura intelligat, quam in corpore Juris & codicibus traditur, ei certe continget secundum effatum Prov. XXVIII. 16. *Dux indigens sapientia, multos opprimet per calumniam.* Etenim quam bonæ & æquæ sint leges, patiuntur tamen omnes exceptionem, ut ultra necessitatem urgeri nequeant. Itaque Principem oportet tam jus quam gladium in manu tenere, & propria ratione metiri, quando & ubi jus secundum rigorem exerceri vel mitigari debeat, ita ut semper super jura dominetur, & supremum jus magisterque omnis juris maneat ratio.

Tom. II, Alt. pag. 270. b.

§. XXII.

Apud Jureconsultos insignis est doctrina de ἐπιεικείᾳ. (x) & in ἐπιεικείᾳ ὅλ
omni gubernatione politica & œconomica diligenter observan- servanda, ab
da. Aristoteles in quinto & præclarissimo Ethicorum libro pul- Aristotele
cherrimum locum habet de Epiikia. Magistratus positus est ad descripta.
gubernandum secundum legis rigorem, quam omnino servare
& tueri debet; sed quia innumerabiles casus, & infinita negotia sunt, quæ non possunt omnia scripto & legibus comprehendi, propter varietatem circumstantiarum, & pauci perspiciunt, ubi recte & prudenter mitiganda sit lex; ideo Aristoteles optimam rationem monstravit. Sicut virtutis quoque definitionem ad eam accommodat, cum inquit: *virtus est habitus electivus, in mediocritate consistens, quo ad nos ratione aliqua, ut sapiens judicat.* Ut fortitudo medium est inter iram, seu audaciam & ignaviam. Sed illa mediocritas vel moderatio subjecta est passioni-

Yyy yy 2

bus,

bus, ideo addit: *ut sapiens judicat*, seu determinat, quod iudicium non posset comprehendere legibus, sed oportet adesse vivam legem, nimirum *Magistratum*, qui est *anima legis*, & diligenter videre jubet, ubi, & quomodo servari queat, eamque moderetur, si quis offeratur casus impossibilis. Quemadmodum paterfamilias præscribit servo certam rationem & ordinem operarum domesticarum, jubet ut surgat hora quinta, post agrum colat,umat demensum suum, & reliquas operas fideliter & diligenter faciat. Hæc una lex non potest prævidere omnes casus, qui ordinem præscriptum turbare queunt. Subito igitur aliquid impedimenti obicitur servo egressuro in agrum, aut morbus Domini, aut tempestas minus idonea, aut alia in re opera ejus magis opus habet paterfamilias. Ibi sic statuit: ego sum viva lex in domo mea, & habeo in manu *ἐπιδικαστήν*, & jus moderandi aut mitigandi. Cesset igitur rigor mandati, quod antea dederam. Ibi perfringit legem *ἐπιδικαστήν*, propter casum subitum & improvissum. Sic & Jurisconsulti quaerunt mediocritatem, pro diversitate circumstantiarum aut casuum, si qui aut exacerbationem aut mitigationem requirunt, propter impossibilitatem legis. Hinc (y) *ante leges datas Deus constituit iudices*, ut commendet nobis *Επίδικαν*. Nam iudices sunt leges vivæ, seu anima legis. Ideo priores & superiores sunt legibus, sicut & gladio. Itaque quamvis secundum leges judicare debeant, & per gladium exequi, tamen in manu habere debent, tam legem quam gladium, ne legibus contra leges utantur, sicut stulti illi, qui fixis oculis in legem, posthabita circumstantia causæ, solum hoc habent in ore: sic scriptum est, sic fiat. Quis enim non (z) videt *varios morbos & vicia legum politiarum*? Quæ enim Respublica est, in qua etiam, qui justissime omnia ordinant & exequuntur, non sæpe injusta lanciant & admittant? sicut proverbium testatur, summum jus summam esse injuriam. Neque hoc hominum tantum vitium est, sed ipsæ leges quoque non carent vitiis, etiam cum sunt æquif-

*causa epik-
hies.*

æquif-

æquissimæ. Ideo opus habent æquo moderatore, qui eas aut laxet, aut contrahat, pro opportunitate negotiorum. Tolerat tamen Deus vitia ista, ut saltem aliqua Politicæ forma constet, educetur soboles, colatur terra, ut commutentur officia & merces &c. Nam vitia omnia ex rebus & legibus auferre, est ipsas politias & leges tollere. Tanto quorundam Jureconsultorum major infania est, cum primum ad Respubl. & Aulas veniunt, volentium omnia refecare ad vivum, & conantium *Arithmeticam æqualitatem* in omnibus constituere. Hoc qui faciunt, pacem turbant. Sed cur non etiam istam pulcherrimam ordinationem procreandæ sobolis tollunt, quæ sine vitio non potest esse? Atqui prudens Magistratus plus in eo laborare debet, quomodo conservet pacem, quam quomodo corrigat leges. Nam qui hoc faciunt, illud autem negligunt, vere trabem negligunt, & sunt curiosi de festuca. Diversum autem videmus in Dei facto. Etsi enim videt conjugium vitiatum esse libidine, tamen non ideo conjugium tollit, non ideo liberorum procreationem adimit, mavult vitium tolerare, quam conditionem suam tollere. Sic etiam *prudens Jureconsultus* in politia hoc inprimis spectare debet, quomodo paci & communi hominum tranquillitati possit consuli, ut educatio, & alia tum politica, tum æconomica officia conserventur. Quod si qua occurrunt vitia, ea negligenda sunt potius, quam ut his motis, publica pax perturbetur. Ergo neque conjugia, neque alia res bonæ propter certam quædam vitia sunt damnandæ, sed *respicendum est ad causam finalem*, ea est in conjugio procreatio sobolis, in politia est conservatio pacis. Quod si in politia *causa formalis* (leges scilicet) vitiosa est, si est vitiosa causa efficiens, scilicet tyrannis, (nam sic jam appello) *pronunciatur secundum potiore causam*, nempe, secundum causam *finalem*, ceteræ negligantur.

(x) *Ad Genes. XLIII. pag. 951. seq.* (y) *Tom. III. Jen. Lat. fol. 81. b.*
 (z) *Tom. IV. Jen. Lat. fol. 392. b.*

Yyy yy 3

S. XXIII.

§. XXIII.

*Salomonis
exemplum
imitandum
Principibus.*

*nec libris
nec consilia-
riis fiden-
dum.*

Hinc liquet, Principatum & Magistratum gerere, esse rem difficillimam, & nisi ipse Princeps tam prudens sit, ut & jus & consiliarios suos (a) regat, evenit id, quod Salomo dixit Eccles. X. 16. *ne tibi terra, cujus rex puer est.* Id Salomo agnovit, ideoque desperavit de omni jure suo, etiam à Deo per Moysen sibi præscripto, Principibus & consiliariis suis, atque ad Deum ipsum conversus, eum supplex rogavit pro sapienti corde, ad regendum populum, 1. Reg. III. 9. Hoc exemplum debet imitari Princeps, in timore incedere, & neque libris mortuis, neque vivis capitibus confidere, sed Deo assidue supplicare, pro prudentia vera, superante omnes libros & Doctores, ut sapienter gubernare subditos suos possit. Quare præscribere Principi jus nequeo, sed animum saltem ejus imbuam, quomodo aptus & comparatus esse debeat in omnibus judiciis, consiliis, juribus & negotiis; ut si ita se gerat, certus sit, Deum certo largiturum, ut omnia jura, consilia & negotia bene ac divine expedire queat. 1. Respicere subditos eoque omni nisu contendere debet, ut iis profit & inserviat, nec cogitet, sibi licere pro arbitrio statuere cuncta, &c. (vid. pag. 885. ubi verba allegata sunt) 2. Attendant ad proceres & consiliarios, eosque ita tractet, ut neminem contemnat, nemini etiam fidat omniaque committat. Neutrum ferre potest Deus, qui aliquando etiam per asinum locutus est; itaque nemo spernendus. Rursus, maximum Angelum de cælo labi sivit; quare nulli homini fidendum, quantacunque polleat sapientia & sanctitate, sed omnes audire & expectare oportet, per quem Deus loqui aut operari aliquid velit. Hoc enim maximum in aulis damnum est, si Princeps sensus suos captivos dat proceribus & adulatoribus, nec propriis oculis utitur. Si quidem si Princeps errat, non unum concernit tantum hominem; sed damnum & stultitia in totam regionem redundat. Igitur Princeps ita confidat proceribus suis, ut ipse habenas in manu

manu teneat, non somnolentus & negligens sit, sed prospiciat & visitet omnia, Josaphati exemplo; quod si fecerit, experientia docebitur, nulli homini penitus fidem adhibendam esse. Neminem eadem fide credat se suasque provincias curaturum esse, quam ipse facit, nisi minister ille sit verus Christianus, & Spiritu S. plenus. Homo naturalis (*ein Naturmensch*) non facit. Cum igitur non constet satis, an Christianus, vel semper mansurus sit, indubitate & sine præcautione nemini fidi debet. Quid id ex ministris sibi arrogat, eum credat Princeps dominari velle, & ex Principe statuam facere. Nam si verus Christianus esset ille minister, lubenter ferret, si Princeps non ita secure fideret, imo laudaret etiam & amaret Principem, quod tam accurate eum observet; quemadmodum enim in conspectu Dei omnia agit, sic & vult & potest facile pati, ut in lucem prodeant cuncta, quæ facit 1. Joh. III. 20. 21. Adducit hanc in rem Davidis & Achitophelis exemplum, & commendat proverbium veterum, quos haud dubie experientia docuit: *oculus Domini saginat equum. Item, simus cadens de pedibus ejus impinguat agrum, des Herren Fußstapffen dingen den Acker wohl.* Opus igitur (b) est vigilantia & assiduitate. Sicut vetustas sceptrum effinxit: in summitate ejus, qua hodie coronula ponitur, oculus vigilans & apertus sculpebatur, ut significaret politiæ aut regni administrationem opus habere vigilantia. *Wenn ein Fürst nicht wacker ist / so wird nichts darauff.* Alexander Magnus nunquam tantas res tam brevi tempore gessisset, nisi ipse rebus omnibus singulari vigilantia & sollicitudine præfuisset. Sic omnes Magistratus oportet gerere oculum in fastigio sceptri. Et in œconomia de præsentia matris familias vulgo illud fertur: *Der Frauen Augen kochen wohl / der Magd Augen nimmermehr.* Hæc igitur altera doctrina hujus loci est, benedictionem divinam dari diligentibus, vigilantibus & laborantibus. Quamquam diligentia per se nihil valet, requirit tamen

eam

eam Deus, ut caro conteratur & crucifigatur, quod faciunt pii propter Deum, ideo sunt salus & benedictio orbis terrarum.

(a) *Tom. II. Alk. pag. 270. a. 271. a.* (b) *in Genes. c. 39. pag. 244.*

§. XXIV.

*Magistra-
tus non
omnia vide-
re aut præ-
cavere po-
test.*

Neque tamen omnia potest Magistratus aut scire, aut providere, licet velit. *Et si enim voluntas non desit, tamen saepe deest cognitio*, quanquam voluntas quoque in multis infirma est. *Honorandi tamen sunt*, & ferenda incommoda: sed in quibus perversa voluntas est, in his detestanda est malitia, & sunt redarguendi. *Abimelech* pulcherrime se excusat: *non cognovi*, inquit, non audiui, nec tu indicasti. Nam pius Magistratus non offenditur admonitione, sed requirit, ut indicetur à subditis, si quid peccatum alicubi est. Quomodo enim scire potest, quid ubique agatur? Qui autem superbi sunt, & offenduntur indiciis, ac admonitionibus subditorum, quasi dedecus sit ignorare aliquid, hi parum memores sunt suæ conditionis, neque unquam humiliantur coram Deo, nec invocant Deum, talia peccata ut condonet. Est autem *inevitabile peccatum Magistratus ignorantia*, & tam innatum Magistratui, quam omnibus innata est concupiscentia, sine qua certe nemo vivere potest. *Agnoscant igitur singuli defectum suum*: ita enim fiet, ut humilientur & non solum implorent auxilium Dei, sed etiam exposcant veniam occultorum peccatorum. Præclare igitur *Bernhardus* ad *Eugenium Papam* scribit: *Multa cogeris ignorare, multa dissimulare*. Ignorantia est error in voluntate, qua toleramus ea quæ non volumus. *Abimelech* quidem Rex est, sed non scit omnia quæ subditi faciunt, hæc enim laus non hominis sed Dei solius est, qui omnia scit & falli non potest. Hanc laudem superbi tyranni usurpant, qui admoneri nolunt. Vult tamen Deus implicatum cum peccato ignorantia, ut agnoscat se non habere universalem gubernationem, quæ homini est impossibilis, propter ignorantia peccatum, sed partialem, & Deum agnoscat universali

versali gubernationi præesse; is enim est, qui habet *universalem* Solus Deus
oculum, & intuetur omnia, ac nihil ignorat, sed *Magistratus* habet *uni-*
versalem
 utcumque bonus, habet tantum *partialem* oculum. Adjuvan-
 dus igitur est: quando aliquid publice peccatur, concurrere
 omnes debent tanquam ad commune incendium restinguen-
 dum. Debent enim singuli pro suo modo adjuvare rem publi-
 cam. - Voluntas boni Magistratus non est, quod nocere velit.
 Huc consilia omnia dirigit, ut profit suis; sed servi & consilia-
 rii, quorum opera cogitur uti, quod solus tot negotiis sufficere
 non possit, multa faciunt sub nomine Principum, quæ si scirent,
 non paterentur. Sic à familia multa peccantur, quæ ignorat
 herus. Idem etiam sanctis accidit. Exercentur non solum pœ-
 nis & tribulationibus multis, sed etiam implicantur sæpe in
 offendicula lapsus & erroris; sed discendum est, quod non ideo
 pereunt, modo voluntas sincera & pura sit, ac absit ignavia. Si
 enim privati non possunt sine peccato vivere, multo minus id
 poterunt, qui in Magistratu sunt. Videat tamen unusquisque,
 ut non adsit mala voluntas, & absit adfectata ignorantia.

Ad Genes. XXI. pag. 1021 -- 1027.

§. XXV.

Cum igitur mundi regna, quantumcunque sint felicia & Nullum
 bene constituta, habeant infinita vitia, adeo ut impossibile sit *mundi re-*
 unam Politiam inveniri, in qua non hæreant plurima & maxi- *gnum sine*
 ma peccata; sunt enim mixta tyrannide, insipientia, negligē- *vitiis,*
 tia, omnibus cupiditatibus gloriæ, libidinis, vindictæ, avaritiæ:
 ita ut necesse sit eum, qui regit, multis facere injuriam; *institu-*
 tum est orare pro Magistratu, quod impossibile sit sine vitiis re- *quare pro*
 gere. Hinc extant etiam apud Philosophos disputationes, *utrum* *Magistra-*
 regna possint administrari sine injustitia, utrum tolerabilius sit *in orandis*
 regnum justum an injustum? Concludunt autem Plato & Cice-
 ro, regna non posse administrari sine injustitia & mendacio. Sed
 in regno Christi non est ullum vitium, non fit ulla injuria, non
 toleratur injustitia, ne in puncto quidem, quæ injustitia in mundi

Zzz zz

regnis,

regnis, non punctis, sed magnis molibus fit. Ibi enim infinita maria & monstra injuriarum cernuntur, quæ caveri non possunt, ne ab iis quidem, qui bene regunt. *David* enim sanctus Rex fuit, & gubernavit divina ope & favore, sicut *Petrus* in *Actis* testatur, administrasse eum regnum ex voluntate Dei, & in lib. Regum dicit Deus, *inveni virum, qui faciat omnes voluntates meas*, & tamen multos affecit injuria, sicut miserum pupillum *Mephiboseth*, item *Uriam*, quem occidi jussit, ut caperet uxorem ejus. Et ut summam dicam, impossibile est, quin ii, qui cum imperio sunt, non peccent: nec possunt omnibus administrare justitiam. Ratio est, quia superantur eorum vires magnitudine negotii, & malitia *Satanæ*. *Satis* autem est, si non studio & ex proposito peccent, sed habeant voluntatem bene gerendi Magistratus.

ajusque pec-
cata regen-
das.

Quæ autem casu aliter sunt, quam velint, ea quasi spongia abolentur, & absorbentur per remissionem peccatorum. Quis enim alioqui vellet accedere ad administrationem Rerum publicarum? Jubemur autem in sacris literis oblivisci & regere illa Magistratus peccata, & prohibemur videre festucas illas in oculis Principum. Et quid mirum de Magistratibus civilibus, nobis quoque verbi ministris eadem accidunt. Nullus enim nostrum est, qui suum officium sine multis vitiis administret. Quod si laudatissimi Reges in sancto populo Dei non potuerunt sine peccato præesse regnis, ut *David*, *Ezechias* & alii, non est possibile, ut quisquam sit, qui ubique faciat officium suum, qui non alicubi injuriam faciat immeritis, occidat, rapiat, sæviet, & tyrannicas illas virtutes non aliquando ostendet, ut fingat clementiam, benevolentiam, erga cives, sicut *Julius Cæsar* & alii, qui potuerunt sævire, & tamen arte quadam hominum animos trahere. Est igitur hæc summa, quod alii Reges omnes sunt aliqua ex parte tyranni, nec habent sceptrum rectitudinis, imperia eorum non constant sine vitiis & criminibus & tyrannide. sicut videmus in optimis regibus, *Davide & aliis*. Solus autem Chri-

stus

Solus Chri-

stus in suo regno habet rectum sceptrum. Quare hoc? quia Rex ^{sus habet} noster habet verbum Dei, quod est purum etiam puncto Ma- ^{sceptrum re-} thematico. Scitis autem, quod *Aristoteles* in *Ethicis* comparat ^{ctum.} moralia puncto Physico, & non Mathematico. *Iureconsultus*, qui jus dicit, non attingit punctum Mathematicum seu indivisibile; satis est attigisse circumferentiam, ut quanto propior centro, eo melius, *den Zweck triefft er nicht / genug / daß er nicht gar über das hin scheußt.* Nam in materia morali punctum debet constitui magnitudine duorum passuum, circumferentia autem magnitudine alicujus oppidi. Sic fiet, ut non plane aberretur à scopo. Nullæ enim usquam sunt leges, quæ careant vitiis, nec ulli usquam sunt Reges, qui sine injustitia regant. Satis autem est, quod leges & Reges conantur attingere scopum, ne plane aberrent. Hinc fit, quod *studium juris est infinitum* studium, quia tendit ad Physicum punctum, & divisibile. Necesse igitur est multos libros inde nasci. Data enim lege aliqua, statim exceptio aliqua se offert, quam deinde alia decem sequuntur, ut sic in infinitum pateant, nec possunt leges redigi in justitiæ punctum Mathematicum & indivisibile. Semper enim casus incidunt, & circumstantiæ, quæ leges vitiant aut variant. Ideo *justitia civilis & leges per se sunt vitiosæ*, etiam si homines obediant. Neque enim ratio assequi potest varietatem omnium casuum, qui incidere possunt, ne legem mutare sit necesse. Quare uno ore fatentur, *Epiikian esse necessario adhibendam ad Epiikian ne-* leges, *daß man es müste flicken und lappen / und zum Dertern eine* ^{cessitas.} *schlagen /* ut leges & justitia civilis vere sint quasi mendici pallium confutum ex variis laciniis, quas subinde mutare, corrigere, quibus addere & demere, ob negotiorum varietatem necesse sit.

Tom. III. Jen. Lat. fol. in Psal. 45. fol. 474. b. 475. a, b.

§. XXVI.

Cum certum sit, servire Principes & Magistratus patribus. *Officia sub-*

Zzz zz 2

fami-

ditorum
in dando
tributo, pro
beneficiis
perceptis à
Magistra-
tu.

familias, debetureis vicissim pro officio hoc beneficii, ut dentur tributa, vectigalia, & si quid aliud est, quo Magistratus opus habet, dum vigilat pro conservatione pacis. Sunt enim ministri Dei, sicut Paulus quoque appellat, in hoc à Deo donati, ut tu possis pace frui. Quam magnum autem beneficium pax sit, commune Germanorum proverbium testatur, quod dicunt, patrem familias, qui duas vaccas habet, alteram debere dare, ut altera in pace frui, & etiam retinere possit. Quid enim profuerit, si domum habeas refertam opibus, & eam contra prædones aut fures tueri non possis? Hoc igitur cum Magistratus præstet, imo cum judicia & leges iterum vendicent Domino, quod iniuste ereptum est, merito ei honor debetur, & iuste penditur tributum, tanquam *administro benedictionum Dei*, quas conjugibus destinavit. Nam hæc tertia conjugii benedictio hic à Davide numeratur, ut conjuges videant bona Hierusalem, hoc est, ut videant Hierusalem florere, primo, per veram religionem & sanam doctrinam: secundo, per bonos Magistratus. Hæc enim sunt bona non unius tantum domus, sed totius Hierusalem. Sic pulcherrimo ordine Spiritus S. nobis commendat dona Dei. Primum, est timor Dei; postea donat & conservat Deus domum & œconomiam; tandem propter œconomias recte institutas, & in timore Dei administratas, sequitur etiam tertia benedictio, felix scilicet politia. Porro caro de his politicis benedictionibus plane eodem modo judicat, sicut de Oeconomicis; est enim impatientissima legum. Hinc sequuntur vulgi odiū, maledicta, convitia in Magistratus, etiam cum officium diligentissime faciunt. Quando enim vulgus non est impatientissimum, etiam cum iustissimis de causis exiguntur pecuniæ? Quasi vero hoc solum sit, quod agat, ut pecunias colligat, & iis pro voluptate sine omni molestia & onere utatur? Quis quæso est, qui gratis servit sine mercede? Quæ igitur illa tandem est ingratitude, Magistratui servienti Reipubl. cum maximo periculo, &

ia

in laboriosissimo vitæ genere, non velle reddere, quod ipforum labor meretur? An putas tibi gratis hoc officii præstandum esse, ut in hoc vel alio oppido habites, fruaris pace, foro, Ecclesia, sine ullo sumptu tuo? Pii sane hoc non postulant, sed agnoscunt Magistratum propter pacem à Deo constitutum esse, ideo prompti sunt ad honorem, tributum, vectigal eis pendendum, tanquam Angelis pacis, nos custodientibus & pro nobis vigilantibus. Hinc Scriptura etiam de graviore officio admonet, & id nobis imponit, ut etiam pro Magistratu oremus. Hoc qui non faciunt, & publica onera etiam impatienter sustinent, merentur, ut loco honorum Principum tyrannos habeant, qui ad graviora eos cogant, & non ordinaria onera exigant, ubi ordinaria aut cum molestia susceperunt, aut maligne executi sunt. Hæ sunt justæ pænæ inobedientium civium & vulgi, quod in periculis unicum refugium habet ad Magistratum, in eos quasi evomit quicquid animo dolet & ægre est. Ibi Magistratus suis rebus relictis, singulorum incommoda audire, iis remedia querere cogitur, ac maxime tum curæ oriuntur, cum publica incommoda sunt. An non igitur digni tyrannis sunt, & sumptuosius ac negligentibus Dominis, qui pio & sollicito Magistratui non student reddere gratiam? Nam tyranni postea faciunt, ut tales discant, quid sit bonus Magistratus, ut ipsi se reprehendant, quod peccarint per obedientiam, quod peccarint dum maligne solverunt ordinaria tributa, dum reprehenderunt Magistratum &c. Hæc si per tyrannos Deus hoc modo non punit, at facit id per seditiones & bella, ne istis porcis impune sit non obedisse, & non honorasse Magistratum. Sicut enim porci tantum hoc agunt, ut ingluviem suam expleant, ita rustici putant se tantum in hoc natos, ut pace fruantur ad colligendas opes, & explendam avaritiam suam; ut autem de collectis opibus aliquid in commune conferant, hoc aut cum molestia aut maligne faciunt. Quare assueticiamus nos, ut recte intelligere discamus illa

Zzz. zz. 3;

Magi-